Br ~~108.642~~
108.644

OFFICIA PROPRIA
ECCLESIÆ
INSULENSIS

A SS. D. N. PIO X
APPROBATA
AC DE MANDATO
EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI
DD. ACHILLEI LIÉNART
TITULI SANCTI XYSTI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
INSULENSIS EPISCOPI
EDITA

NOVA EDITIO

PARS HIEMALIS

BIBL. STE
GENEVIÈVE

TURONIBUS
SUMPTIBUS ET TYPIS MAME
Sanctæ Sedis Apostolicæ et Sacræ Rituum Congregationis
Typographorum

209.076

IMPL.ANGERS.51.00839

KALENDARIUM PERPETUUM
IN USUM
DIŒCESIS INSULENSIS

JANUARIUS

3 S. Genovefæ Virg., *dupl.* Com. Oct. S. Joannis Ap. et Ev.
27 B. Joannis Warnestonensis Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (*dupl.*).

FEBRUARIUS

1 S. EUBERTI EP. ET CONF., Civit. Insul. PATRONI SECUNDARII, *dupl. maj.* Com. S. Ignatii Ep. et Mart. (*dupl.*).
6 S. Vedasti Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Titi Ep. et Conf. (*dupl.*) ac S. Dorotheæ Virg. et Mart.
7 S. Chrysolii Ep. et Mart., *dupl.* Com. S. Romualdi Abb. (*dupl.*).
13 S. Amandi Ep. et Conf. (d. a. ex 6 huj.), *dupl.*
20 S. Eleutherii Ep. et Conf., *dupl.*

MARTIUS

2 B. Caroli Boni, Comitis Flandriæ, Mart., *dupl.*

APRILIS

10 S. Macarii Ep. et Conf., *dupl.*
16 S. Mariæ Bernardæ Soubirous Virg., *dupl.*

MAJUS

4 S. Godehardi Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Monicæ Vid. (*dupl.*).
5 S. Mauronti Abb., *dupl.* Com. S. Pii V Papæ et Conf. (*dupl.*).
30 S. JOANNÆ DE ARC VIRG., GALLIÆ PATRONÆ SECUNDARIÆ, *dupl. II cl.* Com. S. Felicis I Papæ et Mart.
31 B. M. V. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS, *dupl. maj.* Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. (*dupl.*) ac S. Petronillæ Virg.
Feria V infra Octavam Ssmi Cordis Jesu : EUCHARISTICI CORDIS JESU, *dupl. maj.*

JUNIUS

3 S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *dupl.*
8 S. Medardi Ep. et Conf., *dupl.*
14 COMMEMORATIO MIRACULORUM B. MARIÆ VIRG., titulo CANCELLATÆ, *dupl. maj.* Com. S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct. (*dupl.*).

27 Bb. Mariæ Magdalenæ Fontaine et trium Sociarum ejus Vv. et Mm., *dupl.* Com. Oct. S. Joannis Baptistæ.

JULIUS

3 B. Petri a Luxemburgo Conf. (d. a. e 2 huj.), *dupl.* Com. S. Leonis II Papæ et Conf. (*semid.*) et Octavæ Ss. App.
19 S. VINCENTII A PAULO CONF., *dupl. maj.*
20 S. Vulmari Abb., *dupl.* Com. S. Hieronymi Conf. (*dupl.*) ac S. Margaritæ Virg. et Mart.

AUGUSTUS

9 S. Joannis Mariæ Vianney Conf., *dupl.* Com. Vigiliæ S. Laurentii ac S. Romani Mart.
25 S. LUDOVICI REGIS, CONF., *dupl. maj.*

SEPTEMBER

5 S. Bertini Abb., *dupl.* Com. S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. (*semid.*).
9 S. Audomari Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Gorgonii Mart.
11 B. M. V. sub titulo DE DUNIS, *dupl. maj.* Com. Ss. Proti et Hyacinthi Mm.
13 S. Amati Ep. et Conf., *dupl.*

OCTOBER

1 S. REMIGII EP. ET CONF., *dupl. maj.*
3 S. TERESIÆ A JESU INFANTE VIRG., GALLIÆ PATRONÆ SECUNDARIÆ, *dupl. II cl.*
5 S. Piati Presb. et Mart. (d. a. e 1 huj.), *dupl.* Com. Ss. Placidi et Soc. Mm.
9 Ss. DIONYSII EP., RUSTICI ET ELEUTHERII MM., *dupl. maj.* Com. S. Joannis Leonardi Conf. (*duplex*).
16 S. Mommoleni Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Hedwigis Vid. (*semid.*).
27 Vigilia Ss. Simonis et Judæ App.
28 **B. MARIÆ VIRG., TITULO CANCELLATÆ, CIVIT. ET DIŒC. PATRONÆ AC TITUL. ECCL. CATHEDRALIS,** *dupl. I cl.* cum Octava communi.
29 SS. SIMONIS ET JUDÆ APP. (d. a. e 28 huj.), *dupl. II cl.*
30 De Octava, *semid.*
31 De Octava, *semid.* Com. Vigiliæ Omnium Sanctorum.

NOVEMBER

3 De Octava Omnium Sanctorum, *semid.* Com. Oct. B. Mariæ Virg. Cancellatæ.
4 OCTAVA B. MARIÆ VIRG. CANCELLATÆ, *dupl. maj.* Com. S. Caroli Ep. et Conf. (*dupl.*). Oct. Omnium Sanctorum ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.

5 Ss. RELIQUIARUM QUÆ IN ECCLESIIS DIŒCESIS ASSERVANTUR, *dupl. maj.* Com. Oct. Omnium Sanctorum.

6 S. Winnoci Abb., *dupl.* Com. Octavæ.

In Ecclesiis consecratis, **DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ,** *dupl. I cl.* cum Oct. communi. Com. S. Winnoci Abb. (*dupl.*).

7 S. Willibrordi Ep. et Conf., *dupl.* Com. Oct.

In Ecclesiis consecratis, Com. Oct. Omnium Sanctorum et Oct. Dedicationis.

8 OCTAVA OMNIUM SANCTORUM, *dupl. maj.* Com. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.

In Ecclesiis consecratis, Com. Oct. et Ss. Quatuor Coronatorum.

9 DEDICATIO ARCHIBASILICÆ SSMI SALVATORIS, *dupl. II cl.* Com. S. Theodori Mart.

10 S. Andreæ Avellini Conf., *dupl.* Com. Ss. Tryphonis et Soc. Mm.

In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ et Ss. Tryphonis et Soc. Mm.

11 S. MARTINI EP. ET CONF., *dupl. maj.* Com. S. Mennæ Mart.

In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ et S. Mennæ Mart.

12 S. Martini I Papæ et Mart., *semid.*

In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ.

13 S. Didaci Conf., *semid.*

In Ecclesiis consecratis, OCTAVA DEDICAT. PROPRIÆ ECCLESIÆ, *dupl. maj.* Com. S. Didaci Conf. (*semid.*).

21 PRÆSENTATIO B. M. V., *dupl. II cl.*

DECEMBER

1 S. ELIGII EP. ET CONF., *dupl. maj.*

14 S. Folquini Ep. et Conf., *dupl.* Com. Oct.

16 S. Everardi Conf., *dupl.* Com. S. Eusebii Ep. et Mart. (*semid.*).

17 Ss. Nicasii et Soc. Mm. (d. a. e 14 huj.), *dupl.*

INSULEN.

Præsens Kalendarium, juxta Rubricas et Decreta novissima redactum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Papa Pio X tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in universa Diœcesi Insulensi adhiberi mandavit; servatis de cetero Rubricis et Decretis, præsertim quoad Festa Dedicationis et Titularis Ecclesiarum necnon Patronorum cujusque loci. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 15 Junii 1914.

† PETRUS LA FONTAINE
EP. CHARYSTIEN., Secret.
PHILIPPUS Can. DI FAVA, Substit.

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS
INSULENSIS

PARS HIEMALIS

FESTA DECEMBRIS

DIE 1 DECEMBRIS
SANCTI ELIGII
EP. ET CONF.

Duplex majus

In II Vesp. præced. Festi S. Andreæ Ap. fit Com. seq. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Elígium Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo : da nobis ejus intercessióne ; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit : (Qui vivis.)

Deinde Com. Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

Elígius, in agro Lemovicénsi natus, júnior adhuc Parísios se cóntulit, ubi, exomológesi ómnium peccatórum apud sacerdótem facta, totus in ópera pietátis incúbuit. Aurífícum incúmbens arti, subínde in sacros códices intendébat óculos, ut, dum manus úsibus serviébat humánis, mens uni Deo vacáret. Quod arte sua comparáverat, dividébat in páuperes, seípsum étiam necessáriis fraudans, ut captívos redímeret. Clotário regi acceptíssimus fuit, Dagobérto étiam familiáris, a quo legátus pro pace componénda in minórem Británniam missus est. Apud Lemovicénses Solemniacénse monastérium constrúxit, et Parísiis ancillárum Dei domum, qua in urbe adhuc láicus miráculis clarescébat.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

JUNCTIS cum sancto Audoéno stúdiis, omnem simóniæ labem e Gállia sústulit, et tandem effécit ut epíscopi integritáte morum et doctrína illústres deínceps eligeréntur. Princípibus parébat ex ánimo : si quid autem iníqui præcíperent, evangélica eos libertáte arguébat. His virtútibus clarus, in Achárii demórtui locum Tornacénsis ac Novioménsis epíscopus eléctus est. Verum, ne cánones infríngere viderétur, aliquántulum sibi dari témporis postulávit, ut in clericáli disciplína institui, et omnes Ordinum gradus rite posset suscípere. Tunc eódem die quo sanctus Audoénus consecrátur epíscopus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

QUO in múnere ita se gessit, ut non solum óvibus verbo et exémplo præésset, sed vicínos quoque pópulos, Flandros vidélicet et bárbaros circa mare íncolas, ab idolórum cultu ad Christi fidem non sine magnis labóribus perdúceret. Sedit in concílio Cabilonénsi. Noviómi monastérium vírginum ædificávit ac dotávit, eásque régulæ distríctæ subjécit. Sanctórum mártyrum Piáti, Quintíni, Luciáni, Crispíni et Crispiniáni córpora, Deo reveránte, invénit. Quorum quidem relíquias in pretiósis capsis a se fabrefáctis cóndidit Póntifex, qui et ante episcopátum multa Sanctórum auro argentóque et gemmis fabricáverat sepúlcra, Germáni, Genovéfæ, imprímis vero Martíni et Dionýsii. Demum, plúribus egrégie scriptis variísque clarus miráculis et prophetíis, septuagenárius migrávit in cælum, Kaléndis Decémbris, anno Christi sexcentésimo quinquagésimo nono.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

Elígius, in agro Lemovicénsi natus, júnior adhuc Parísios se cóntulit, ubi totus in ópera pietátis incúbuit. Aurífícum incúmbens arti, subínde in sacros códices intendébat óculos, ut, dum manus úsibus serviébat humánis, mens uni Deo vacáret. Quod arte sua comparáverat, dividébat in páuperes, ut captívos redímeret. A rege Dagobérto legátus pro pace componénda in minórem Británniam missus est. Omnem simóniæ labem e Gállia sústulit, et tandem effécit ut epíscopi integritáte morum et doctrína illústres deínceps eligeréntur. In Achárii demórtui locum Tornacénsis ac Novioménsis epíscopus eléctus est. Quo in múnere ita se gessit, ut non solum óvibus verbo et exémplo præésset, sed vicínos quoque pópulos, Flandros vidélicet et bárbaros circa mare íncolas, ab idolórum cultu ad Christi fidem perdúceret. Sanctórum mártyrum Piáti, Quintíni et aliórum córpora, Deo reveláte, invénit, quorum relíquias in pretiósis capsis a se fabrefáctis cóndidit. Demum, septuagenárius migrávit in cælum, Kaléndis Decémbris, anno Christi sexcentésimo quinquagésimo nono.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 24, 42-47

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Elígii Epíscopi

Lib. 2, cap. 15, de vita ejus

Vigiláte sollícite, quia quanto próximum finem mundi diábolus cónspicit, tanto crudélius contra Christiános sævit, ut, quia se cito damnándum cognóscit, plus sibi sócios in pœnam multíplicet, cum quibus útique sine fine cruciétur. Cavéte ergo atténtius, et júgiter cum Dei timóre conversámini, sciéntes quia unusquísque vestrum Angelum Dei habet qui obsérvet júgiter quæ égerit : et, síquidem bene agit, gáudium sancto Angelo sibi adhærénti gignít ; si vero mala ópera exércet, Angelum sanctum a se repéllit et malígnum dæmonem sibi conjúngit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii

Quaprópter, caríssimi, hæc me loquénte intrórsus ad vos redíte, consciéntias vestras discútite, si dignas mentes angélici consórtii géritis prævidéte, et, si vos bonos ac dignos Deo conspícitis, de méritis vestris numquam supérba mente præsumátis, sed magis de cétero cum humilitáte cavéte. Si vero peccátis vos obnóxios cérnitis, nullátenus desperáte : tantum fácite in corde pactum cum Deo, ut jam ámplius non peccétis ; sed fiduciáliter véniam speráte, quia Dóminus sinum pietátis suæ assídue patéfacit, et omnes ad se recípere per pœniténtiam quærit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix

NAM et si adúlter quis, aut méretrix, aut fur, aut ebriósus, aut mendax, vel étiam filiórum necátor fúerit, tantum de cétero pœnitens cáveat, et indulgébit illi Altíssimus. Publicánum de Evangélio et latrónem, nec non et meretrícem, sed et Paulum súmite ad exémplum, qui de semetípso dicit : Prius fui blasphémus, et persecútor et contumeliósus, sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. Et vos ergo, si quid forte ignoránter admisístis, reparáte, vos quæso, dum licet, per pœniténtiam. Confitémini Dómino in totis præcórdiis vestris, quóniam bonus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEUS, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Elígium Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo : da nobis ejus intercessióne ; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit : Qui vivis.

Et fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Deus, fidélium, ut supra.

Et fit Com. seq. Festi S. Bibianæ Virg. et Mart. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, ómnium largítor bonórum, qui in fámula tua Bibiána cum virginitátis flore martýrii palmam conjunxísti : mentes nostras ejus intercessióne tibi caritáte conjúnge ; ut, amótis perículis, prǽmia consequámur ætérna.

Deinde Com. Feriæ.

DIE 14 DECEMBRIS

SANCTI FOLQUINI

EP. ET CONF.

Duplex

In II Vesp. præced. Festi S. Luciæ fit a Capit. de seq.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

C 2

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras quas in beáti Folquíni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Tanto póndere eam fixit Spíritus Sanctus, ut Virgo Christi immóbilis permanéret.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Exáudi nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátæ Lúciæ Vírginis et Mártyris tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu.

Deinde Com. Octavæ :

Ant. Hódie egréssa est virga de radíce Jesse : hódie sine ulla peccáti labe concépta est María : hódie contrítum est ab ea caput serpéntis antíqui, allelúja.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : quæsumus ; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas. (Per eúmdem Dóminum.)

Postea Com. Feriæ.

In I Nocturno, si dicendæ sint de Communi, Lectiones A Miléto.

In II Nocturno

Lectio iv

FOLQUÍNUS, patre Hierónymo, Cároli Magni imperatóris avúnculo natus, cum in virtúte et litterárum tam humanárum quam sacrárum sciéntia multum profecísset, Teruanénsi sede vacánte, totíus cleri et pópuli suffrágiis digníssimus acclamátus est qui viduátæ Ecclésiæ præficerétur. Ea cumulátus dignitáte, licet clveríssimis natálibus fulgéret, non tamen more quorúmdam inértes príncipum aulas sectátus est, sed, sui memor offícii, óppida, castélla vicósque suæ gentis óbiens ad extrémam usque senectútem nullum docéndi labórem intermísit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

ILLUD imprímis curábat ut suis cor esset unum et ánima una. Disciplínæ ecclesiásticæ sanciéndæ semper inténtus, cunctis in pejus tunc ruéntibus, quidquid in vínea Dei indecórum videbátur, id spirituáli circumcisióne resecábat. Subditórum vítia probro sibi ducébat, virtútes glóriæ. Forma factus gregis, in ómnibus exhíbuit semetípsum exémplum bonórum óperum. Quadragésimum in episcopátu fere exégerat annum, cum successóri sibi a rege propter ætátem longævam contra cánones misso, dum sacris fungerétur solémnibus, benedictiónis loco maledictiónem íntulit : quam mox subsecútam esse divínam ultiónem narrant histórici.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Nullos umquam licet gravis annis labóres detrectábat ; quin étiam, cum instáre jam mortis diem sentíret, ecclesiárum suárum visitatióni vacáre última vice vóluit. Quo múnere dum fungerétur, morbo gravi corréptus in vico qui dícitur Eklésbeka, nunc diœcésis Insulénsis, in Mempísco óbiit, décimo nono Kaléndas Januárii, anno octingentésimo quinquagésimo quinto. Ejus corpus, sicut vivens optáverat, in monastério sancti Bertíni sepúltum est. Post tres et septuagínta annos, Odwínus, consentiénte Stéphano Teruanénsi epíscopo, sancti Folquíni avúnculi sui corpus edúxit e terra, et eódem in loco sub ejus título aram eréxit, eorúmque in grátiam, qui præsídium ejus invocábant, plúrima patráta sunt mirácula.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Noct. Homilia in Evang. Vigiláte, de Comm. Conf. Pont. 2º loco.

In Feria IV Quatuor Temporum ix Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio C 2

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Folquíni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Com. Octavæ :

Ant. Ait Dóminus Deus ad serpéntem : Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, allelúja.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : quǽsumus ; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas. (Per eúmdem Dóminum.)

Deinde Com. Feriæ.

Vesp. de seq. die Oct. Conceptionis immac., ut in I Vesp. Festi. Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum, et Oratio Exáudi, ut supra.

Deinde Com. Feriæ.

DIE 16 DECEMBRIS

SANCTI EVERARDI

CONFESSORIS

Duplex

In II Vesperis præced. diei Oct. Concept. immac. fit Com. seq. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus : ut, intercessióne beáti Everárdi Confessóris tui, sic transeámus, per bona temporália, ut non amittámus ætérna. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Eusebii Ep. et Mart. (Semid.) :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Eusébii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. (Per Dóminum.)

Postea Com. Feriæ.

In I Nocturno, si dicendæ sint de Communi, Lectiones Justus, 2º loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Everárdus dux Forojuliénsis, Francórum nobilíssimis oriúndus natálibus, non minus zelo propagándæ fídei quam virtúte béllica cláruit. Cum enim impávidus miles pátriæ hóstibus resísteret, frequéntes Sclavórum, Saracenórum et Numidárum incursiónes válida manu repéllens, quos vi et fortitúdine vincébat, hos majóri stúdio suávi Salvatóris jugo subjícere conabátur. Váriis locis sibi jure belli subjéctis ecclésias ac monastéria ædificávit, quibus præfécit minístros sciéntia et virtúte conspícuos, unde id faustum evénit ut plures non jam armis contérriti, sed exémplis piis et divíni cultus splendóre commóti, idóla relínquerent, atque ad Christum toto corde converteréntur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Erat ergo Everárdus hóstibus formidábilis, sóciis ac contubernálibus prædicábilis, Regi cælésti paritérque terréno accéptus. Quaprópter Ludovícus Pius suam ei fíliam Gislam exímiis excúltam virtútibus cónjugem dedit ; et, quo núptias ornáret, concésso Cysónii fisco, ducátum áddidit Forojuliénsem, quem sub Lothário príncipe felíciter gubernávit, ómnium exercítio virtútum familiáribus exémplum factus, éxteris prodígium. Studébat imprímis egénis opitulári, Sanctórum relíquias conquírere, viros religiósa professióne obstríctos venerári, depravátos ad bonam frugem revocáre, infidelésque fídei rudiméntis institútos ad Ecclésiæ grémium perdúcere. Religiósis viri vestígiis inhærens Gisla, verbis et exémplis líberos ad patris imitatiónem tam felíci indúxit efféctu, ut domus monastérii pótius quam aulæ spéciem præ se ferret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Interim divínitus admónitus, in suo Cysoniénsi prædio fundávit monastérium canonicórum, cum quibus ubi per ótium licéret jucúndos de cæléste vita sermónes miscébat, divínas laudes modulántibus óccinens, in templo Dei assíduus, et quotídie virtútibus profíciens. Ut majórem loco sanctitátem conciliáret, Romam proféctus est, sacra divi Callíxti ossa a Leóne quarto postulatúrus. Quod sacrum pignus húmeris sacerdótum ab Itália ad Bélgium deférri vóluit. Cum autem Evérárdus, abjéctis terrénis honóribus, íterum ex Itália redíret, in lethálem morbum íncidit, ac fílios mónitis salutáribus adhortátus, obdormívit in Dómino, die décima sexta Decémbris, anno octingentésimo sexagésimo séptimo. Hujus relíquiæ témpore persecutiónis, quæ labénte sæculo décimo octávo in Gállia desæviit, ab impiórum mánibus eréptæ, nunc in ecclésia Cysoniénsi asservántur.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Liber 2 Quæst. Evang. quæst. 46

Régio longínqua, ecclésia géntium usque ad fines terræ. Revérti se tamen dicit : ábiit enim, ut plenitúdo géntium intráret : revertétur ut omnis Israël salvus fiat. Per decem mnas legem signíficat propter decálogum. Decem autem servos, quibus sub illa pósitis grátia prædicáta est. Sic enim intelligéndum est, eis datas mnas ad usum, cum intelléxerint eam ipsam legem, remóto velámine, ad Evangélium pertinére. Cives ejus qui post eum misérunt legatiónem, dicéntes se nolle ut regnet sibi, Judǽi sunt, qui prædicatiónem Evangélii respuérunt.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Lectio viii

Quod autem servi reddéntes ratiónem ex eo quod accéperant, laudántur quia lucráti sunt ; signíficat eos bonam réddere ratiónem, qui bene usi sunt eo quod accepérunt ad augéndas divítias Dómini, per eos qui credunt in eum. Quod qui fácere nolunt, in illo significáti sunt, qui mnam suam in sudário servávit. Mensam cui danda erat pecúnia, possessiónem ipsam religiónis accípimus, quæ tamquam públice propónitur ad usum necessárium salúti.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

In Quatuor Temporibus ix Lectio de Homil. Fer. ; alias

Pro S. Eusebio Ep. et Mart. :

Lectio ix

Eusébius, natióne Sardus, Románæ Urbis lector, post Vercellénsis epíscopus, advérsus Arianísmum sic viríliter dimicávit, ut ejus invícta fides Libérium summum Pontíficem ad vitæ solátium erígeret. Pro ejúsdem fídei cathólicæ confessióne a Constántio príncipe Scythópolim missus fuit, ubi famem, sitim, vérbera diversáque supplícia est perpéssus. Inde in Cappadóciam relegátus, exsílii rigóres tulit usque ad mortem ipsíus Constántii, post quam ad ecclésiam suam revérti permíssus est. Tunc lúgubres vestes Itália mutávit ; ubi, postquam Psalmórum ómnium expurgátos a se commentários Orígenis édidit, Eusebiíque Cæsareénsis, quos vérterat de Græco in Latínum, ad immarcescíbilem glóriæ corónam, tantis ærúmnis proméritam, sub Valentiniáno et Valénte, Vercéllis migrávit ad Dóminum.

Te Deum laudámus.

Sicubi vero ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, erit sequens

Lectio ix

Quod autem unus eórum, qui bene usi sunt, decem acquisívit, et alter quinque, signíficat eos esse acquisítos in gregem Dei, a quibus ipsa lex per grátiam intellécta est. Ad hoc pértinent et decem et quinque civitátes quibus eos præpónit. Multiplicátio enim intelligéntiæ in ipsa varietáte ad unum redácta, quasi civitátem facit vivéntium ratiónum æternárum. Est enim cívitas non quorúmlibet animántium, sed rationálium multitúdo, legis uníus societáte devíncta.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus : ut, intercessióne beáti Everárdi Confessóris tui, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Eusebii :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

DEUS, qui nos beáti Eusébii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis, S. Eusebii et Feriæ.

DIE 17 DECEMBRIS

(d. a. e 14 huj.)

Ss. NICASII et SOC.

MARTYRUM

Duplex

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio C 2

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Nicásii et Sociórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Omnípotens, ut supra.

Deinde S. Eusebii :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus et Oratio Deus, qui nos beáti, ut supra 20

Postea Com. Feriæ.

In I Nocturno, si dicendæ sint de Communi, Lect. Fratres : Debitóres.

In II Nocturno

Lectio iv

Quo témpore Vándali et Aláni cum áliis bárbaris trajécto Rheno Gállias ferro ignique vastárent, apud Rhemos clarébat sanctíssimus præsul Nicásius, qui assíduis monitiónibus pópulum ad meliórem frugem revocáre conabátur. Sed, cum pópulus in peccátis obdurátus salútis mónita neglígeret, castrametáti sunt bárbari circa urbem Rhemórum, omníque regióne depopuláta, último excídium cívibus parábant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

Furéntibus ergo circumquáque bárbaris ac urbem fórtiter concutiéntibus, nímio terróre cives percúlsi, ad beátum Nicásium in basílica sanctæ Dei Genitrícis supplíciter orántem confúgiunt, auxílium consolatiónis ab eo tamquam a patre fílii quæréntes. Sanctus vero Póntifex, futúræ cladis ex divína revelatióne præscius, únicum salútis remédium esse respóndit de manu Dei flagélla suscípere, ac rogáre quátenus mors præsens non supplícium fíeret, sed remédium.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio vi

Cum autem Nicásius cómperit hostes in urbem irrúmpere, statim ad óstium ecclésiæ occúrrit in hymnis et psalmis. Moxque ut ácies irruéntes vidit, manu siléntium indícens, tum pro suis óvibus rogávit, tum hostes ipsos ad pœniténtiam invitávit. Quibus dictis in oratióne prostrátus versum hunc decántans : Adhæsit paviménto ánima mea, íllico gladiatóris ictu cápite truncátur ; ac nihilóminus, ut tráditur, immortalitátis senténtiam adimplévit, dicens : Vivífica me secúndum verbum tuum. Soror vero Pontíficis Eutrópia, pro fide simul et pudicítia decértans, palmam martýrii cum germáno suo et sanctis ibídem triumphántibus a Dómino proméruit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos ; et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homil. in Evang. Cum audiéritis, de Comm. plur. Mm. 1º loco.

In Quatuor Temporibus ix Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio C 2

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Nicásii et Sociórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

Et fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio Deus, ut supra.

Et fit Com. Feriæ : Ant. O.

FESTA JANUARII

DIE 3 JANUARII
SANCTÆ GENOVEFÆ
VIRGINIS
Duplex

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

EFFÚNDE super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut, sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. diei Oct. S. Joannis Ap. et Ev. :

Ant. Iste est Joánnes, qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit : beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia.

℣. Valde honorándus est beátus Joánnes. ℟. Qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit.

Oratio

ECCLÉSIAM tuam, Dómine, benígnus illústra : ut, beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

In I Noct. Lectio iii Non ergo, omisso Glória Patri in ii Respons.

In II Nocturno

Lectio iv

GENOVÉFA, Nemptodúri in agro Parisiénsi, Sevéro et Gerúntia paréntibus nata, inaudítæ virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Germánus Antissiodorénsis, in Británniam transitúrus cum Lupo Trecénsi, ut Pelagiánæ hǽresis relíquias profligáret, conjéctis in eam óculis, Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Ab ea cum postulásset num virginitátem Deo vellet consecráre, Genovéfa, vultu ad modéstiam compósito, statim respóndit id unum se veheménter optáre. Germánus ítaque ecclésiam frequénti pópulo ingréssus, puéllæ manus impósuit, et inter crebros psalmórum concéntus, prolixásque oratiónes, vírginem consecrávit. Postrídie, sciscitánti an voti jam emíssi memor esset, mémorem vero se, et in eo propósito permansúram, Deo operánte, asseverávit. Ille nummum ǽreum signo crucis insignítum, nec sine Dei nutu humi conspicátus, collégit, vírgini dedit, præcepítque ut collo appénsum gestáret, nec ullis deínceps monílibus, quæ sponsæ Christi non convéniunt, ornári se paterétur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet te.

Lectio v

Miraculórum dono et multitúdine excélluit, máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens, a dǽmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit, atque imprímis, accedénte Attila Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitióribus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus ; idque Genovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ caritáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros, erogátis pánibus, sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit, quin malevolórum ódio et contuméliis premerétur. Germánus in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est ; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum in quo preces illa fundébat, lácrimis ejus madefáctum osténdit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Ab anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum, Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit, sumpto pane hordeáceo ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida temperábat aqua. Post id tempus, suadéntibus epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis et lacte usa est. Neque vero intra Gálliæ límites tanta virtus continéri pótuit. Símeon ille Stylítes, audíta tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Admirándis dénique virtútibus, ut scribit Beda, late cláruit, et in Christi servitúte ad octogínta et novem annos consénuit. Lutétiæ sepúlta est in basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, quæ subínde ipsíus Genovéfæ nomen accépit. Ad ejus túmulum supplicántium preces sæpius exaudítæ mirábilem Deum in Sanctis suis testántur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

Genovéfa, Nemptodúri in agro Parisiénsi nata, inaudítæ virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Germánus Antissiodorénsis, in Británniam transitúrus, conjéctis in eam óculis, Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit, et puéllæ manus impónens, vírginem consecrávit. Miraculórum dono et multitúdine excélluit, máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens, a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit, atque imprímis, accedénte Attila Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitióribus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus. Grassánte deínde fame, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros sustentávit. Ab anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum, Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit, sumpto pane hordeáceo ac módico pulménto, quod frígida temperábat aqua. Post id tempus, suadéntibus epíscopis, piscículis et lacte usa est. Admirándis dénique virtútibus late cláruit, et in Christi servitúte ad octogínta et novem annos consénuit. Lutétiæ sepúlta est in basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, quæ subínde ipsíus Genovéfæ nomen accépit.

Te Deum laudámus.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile erit, de Comm. 1º loco.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit omnia sua, et comparávit eam.

Oratio

EFFÚNDE super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut, sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. S. Joannis Ap. et Ev. :

Ant. Iste est Joánnes, qui supra pectus Dómini in cœna recúbuit : beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia.

℣. Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his. ℟. Et scimus quia verum est testimónium ejus.

Oratio

ECCLÉSIAM tuam, Dómine, benígnus illústra : ut, beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio Effúnde, ut supra.

Et fit Com. diei Oct. Ss. Innocentium Mm. :

Ant. Hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti : vírgines enim sunt, et sequúntur Agnum quocúmque íerit.

℣. Heródes irátus occídit multos púeros. ℟. In Béthlehem Judæ civitáte David.

Oratio

Deus, cujus hodiérna die præcónium Innocéntes Mártyres non loquéndo, sed moriéndo conféssi sunt : ómnia in nobis vitiórum mala mortífica ; ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateátur. Per Dóminum.

DIE 27 JANUARII

BEATI JOANNIS WARNESTONENSIS

EP. ET CONF.

Duplex

In II Vesp. præced. Festi S. Polycarpi fit a Capit. de seq.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum atque Pontíficem, divína caritáte flagrántem, fidéque quæ vincit mundum insígnem, sanctis Præsúlibus mirabíliter aggregásti : præsta, quǽsumus ; ut, ipso intercedénte, nos quoque in fide et caritáte immóbiles, ejus glóriæ consórtes fíeri mereámur. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Deus, qui nos beáti Polycárpi Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus.

Deinde Com. S. Joannis Chrysostomi Ep.,

Conf. et Eccl. Doct. (Duplex) :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Joánnes Chrysóstome, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Ecclésiam tuam, quǽsumus, Dómine, grátia cæléstis amplíficet : quam beáti Joánnis Chrysóstomi Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis et doctrínis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Joánnes, in pago Teruanénsi, in villa quæ nunc Warnestónium vocátur, juxta Lísiam natus, celebérrimos tunc témporis magístros hábuit Lambértum Trajecténsem et Ivónem Carnuténsem epíscopos. In ecclésia sancti Petri Insulénsis aliquámdiu commorátus, ad montem sancti Elígii secéssit, ibíque sancti Augustíni régulam amplexátus, frátribus suis et virtútum suárum exémplo, et piis sermónibus páriter prófuit. Deínde a Lambérto Atrebaténsi epíscopo, eodémque familiári suo, accítus, mórtuo Gerárdo Teruanénsi epíscopo succéssor designátur, mox a summo Pontífice ómnium plausu confirmátus est anno millésimo nonagésimo nono.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Eódem anno Joánnes présbyter ordinátus, Rhemis consecratiónem episcopálem suscépit, et concílio intérfuit Audomarénsi, quod cum suffragáneis de retinénda pace Manásses in ecclésia beátæ Maríæ Vírginis, prídie Idus Júlii, celebráre institúerat. Dehinc labefactáta ecclesiárum fundaménta reparáre stúduit. Non multo post, ut res archiepíscopi Rheménsis ágeret, Romam conténdit. Atque ita se gessit ut summo Pontífici imprímis accéptus esset, ejúsque íntima familiaritáte uterétur. Roma revérsus, sacerdótes ambitiósos et aváros, alíisque déditos vítiis ex urbe Yprénsi éxpulit. Rogátus a cívibus, Gerárdum, spectátæ vitæ sacerdótem, sanctórum Martíni et Petri ecclésiis præpósuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

PRÆTÉREA Burburgénsem parthenónem, illústrium plúribus sǽculis canonicárum capítulum, confirmávit. Sancti Nicolái in Arida Gamántia ecclésiam dedicávit. Corpus sancti Humfrédi, prædecessóris sui, tránstulit et recóndidit sub altáre beátæ Maríæ. Canónicos reguláres tum apud Falempínum, tum in abbátia Choquénsi constítuit. Sex ália monastéria fundávit. Concílio ádfuit Rheménsi, Bellovacénsi et Catalaunénsi. Deínde, postquam ecclésiæ suæ per trigínta annos et sex menses præfuísset, insígnem longa virtútum exercitatióne vitam finívit sexto Kaléndas Februárii, anno supra millésimum centésimo trigésimo, et a Robérto Atrebaténsi epíscopo sepúltus est. Exstat ad Joánnem Teruanénsem Ivónis Carnuténsis epístola nonagésima nona.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Vigiláte, de Communi Conf. Pont. 2º loco.

Pro S. Joanne Chrysostomo :

Lectio ix

JOÁNNES Antiochénus, propter áureum eloquéntiæ flumen cognoménto Chrysóstomus, présbyter Antiochénæ ecclésiæ factus, mórtuo Nectário, Arcádii imperatóris ópera, invítus Constantinopolitánæ ecclésiæ præfícitur. Quo in múnere, cum depravátos mores et nobílium hóminum vivéndi licéntiam veheméntius objurgáret, magnam multórum súbiit invídiam. Apud Eudóxiam étiam, quod eam propter Callítropæ víduæ pecúniam, et altérius víduæ agrum reprehendísset, gráviter offéndit. Quare exsuláre cógitur, víduis et egéntibus ómnibus commúnis paréntis ejectiónem lugéntibus. Incredíbile dictu est, quanta mala in exsílio perpéssus sit et quam multos ad Jesu Christi fidem convérterit. Multitúdinem, pietátem ac splendórem conciónum ceterorúmque ejus scriptórum omnes admirántur. Animam Deo réddidit décimo octávo Kaléndas Octóbris, ejúsque corpus in basílica Vaticána cónditum est. Hunc præclárum totíus Ecclésiæ Doctórem Pius Papa décimus cæléstem prædicatórum patrónum constítuit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEUS, qui beátum Joánnem Confessórem tuum atque Pontíficem, divína caritáte flagrántem, fidéque quæ vincit mundum insígnem, sanctis Præsúlibus mirabíliter aggregásti : præsta, quǽsumus ; ut, ipso intercedénte, nos quoque in fide et caritáte immóbiles, ejus glóriæ consórtes fíeri mereámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Joannis Chrysostomi :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

ECCLÉSIAM tuam, quǽsumus, Dómine, grátia cæléstis amplíficet : quam beáti Joánnis Chrysóstomi Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis et doctrínis. (Per.)

IN II VESPERIS

Fit a Capit. de seq. Festo S. Petri Nolasci Conf., Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum, et Oratio Deus, qui, ut supra 30

Deinde Com. S. Joannis Chrysostomi :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Joánnes Chrysóstome, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio Ecclésiam, ut supra 30

Postea Com. S. Agnetis secundo :

Ant. Stans a dextris ejus Agnus, nive candídior, Christus sibi Sponsam et Mártyrem consecrávit.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas : da, quǽsumus ; ut, quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dm̃.

FESTA FEBRUARII

DIE 1 FEBRUARII

SANCTI EUBERTI

EP. ET CONF.

CIVITATIS INSULENSIS
PATRONI SECUNDARII

Duplex majus

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Eubérti Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa : ut, ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. S. Joannis Bosco Conf. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui sanctum Joánnem Confessórem tuum adolescéntium patrem et magístrum excitásti, ac per eum, auxiliatríce Vírgine María, novas in Ecclésia tua famílias floréscere voluísti : concéde, quǽsumus ; ut, eódem caritátis igne succénsi, ánimas quǽrere, tibíque soli servíre valeámus.

Deinde Com. S. Ignatii Ep. et Mart. (Duplex) :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Ignátii Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Eubértus, seu Eugénius, nóbili génere clarus, beátis Chrysólio ac Piáto, aliísque qui sub Diocletiáno ac Maximiáno evangélicam fidem in Gálliis suscéperant prædicándam, se cómitem adjúnxit. Menápiis apud Tornácum aliísque próximis pópulis Christum annuntiávit, episcopáli, ut tráditur, insignítus charactére. Excoléndam imprímis ádiit regiónem quam Insulénsem Castellániam póstea vocavérunt, et in hoc agro Dómini máxime insudávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Sanctis Piáto et Chrysólio martýrio afféctis, Eubértus neóphytos in vera religióne stúduit confirmáre. Tandem sub finem tértii sǽculi, cum bonum certásset certámen, cursum consummávit et Siclínii sepúltus est, ubi mox elevátus in templo parochiáli quiévit quod ab eo títulum habébat, deínceps a Bárbaris destrúcto. Hoc sacrum pignus, cum divi Petri ecclésia dedicarétur, Insulas delátum, ibi remánsit, atque exínde cæléstis Patróni loco ab Insulénsibus habéri cœpit qui vivens fídei magíster exstíterat.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Sermo sancti Máximi Epíscopi

Homilia 59, quæ est 2 de S. Eusebio Vercellensi

Ad sancti ac beatíssimi Patris nostri Eubérti, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est ; síquidem virtútum ejus grátia, non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória patris est fílius sápiens; quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia et devotióne lætátur ? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam péregre profiscíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 79 in Matth. circa medium

Talénta hic pro eo quod unusquísque fácere potest, accípimus, sive auctoritáte protégere, sive pecúniis juváre, sive doctrína admonére, sive ália quápiam re próximis prodésse queas. Nemo secum dicat : Cum unum taléntum hábeam, nihil possum effícere. Potes profécto ex una re sola comprobári. Non es paupérior illa vídua, non es Petro atque Joánne rustícior : qui quamvis rudes simul atque illitteráti fúerant, quóniam magno stúdio commúnem utilitátem compléxi fúerant, cælórum príncipes facti sunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii

Quippe nulla res Deo grátior est quam ut univérsam vitam ad commúne cómmodum cónferas. Idcírco ratióne atque oratióne nos Deus decorávit, mentem et ingénium concéssit, manus, pedes, vires córporis dedit, ut his ómnibus et nos ipsos et próximos tutémur. Non enim ad agéndas grátias solúmmodo confert orátio, verum étiam ad docéndum et admonéndum perútilis est : qua in re, si ea diligénter utémur, Dóminum ; sin vero in contráriis, diábolum imitábimur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Ignatio Ep. et Mart.:

Lectio ix

Ignátius, Antiochíæ post Petrum secúnda successióne episcopátum sortítus est, et Trajáni témpore accusátus quod christiánus esset, ad béstias damnátur Romam mitténdus. Quo cum a Sýria vinctus deportarétur, omnes Asiæ civitátes, ad quas appulísset, evangélicis cohortatiónibus edocébat, remotióres étiam epístolis erúdiens. In quarum una, quam Smyrnæ, dum apud Polycárpum diversarétur, ad Romános scripsit, inter cétera hæc de sua damnatióne refert : O salutáres béstias quæ præparántur mihi ! Quando vénient ? Quando emitténtur ? Quando eis frui licébit cárnibus meis ? Quas et ego opto acrióres parári, ne forte, ut in nonnúllis fecérunt, tímeant contíngere corpus meum. Nunc incípio discípulus esse Christi. Ignes, cruces, béstiæ, discerptiónes membrórum, ac totíus córporis pœnæ, et ómnia in me unum supplícia diáboli arte quæsíta cumuléntur, dúmmodo Jesum Christum mérear adipísci. Romam ígitur perdúctus, cum rugiéntes audíret leónes, ardóre martýrii incénsus in hæc verba prorúpit : Fruméntum Christi sum : déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar. Passus est autem undécimo anno Trajáni.

Te Deum laudámus.

Sicubi dicenda non sit ix Lectio alicujus Officii commemorati, erit sequens

Lectio ix

NAM et Petrus quandóquidem Christum confitebátur, quasi ea dicens quæ Patris sunt, beatificabátur : quod autem crucem horrébat atque repellébat, quasi ea quæ diáboli sunt sápiens, ácriter increpabátur. Si ergo ignoratióne crucem recusándo reprehénsus est, quam nos sponte peccántes véniam impetrábimus ? Ea ergo loquámur, quæ Christi verba esse conféstim cognoscúntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

PROPITIÁRE, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Eubérti Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa : ut, ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Ignatii :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

INFIRMITÁTEM nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Ignátii Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Vesp. de seq. Festo Purificationis B. Mariæ Virg., Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Propitiáre, ut supra.

Deinde Com. S. Ignatii :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma et Oratio Infirmitátem, ut supra.

DIE 6 FEBRUARII

SANCTI VEDASTI

EP. ET CONF.

Duplex

IN I VESPERIS

In II Vesp. præced. Festi S. Agathæ fit a Capit. de seq.

Sicubi vero I Vesperæ dicendæ sint integræ : Ant. de Laudibus, Psalmi de Dominica, et loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

Voce jucúnda resonémus omnes
Láudibus sacris stúdium feréntes,
Atrebaténsem modulándo patrem
Laude Vedástum.

Hic pius pastor gregis, atque tutor,
Lux fuit cæcis, baculúsque claudis,
Signa patrávit miseránte Christo
Plúrima terris.

Obvio cæco comes ipse regis
Lumen ablátum cítius repéndit,
Unde cernéntes meruére cordis
Súmere lumen.

Lustra belluárum dedit Angelórum
Esse concéntum, Domíníque templum,
Et decachórdo resonáre psalmum
Nocte diéque.

Laus Deo Patri, genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus omni
Témpore sæcli.
Amen.

℣. Conféssor sancte et Sacérdos magne. ℟. Beáte Vedáste, intercéde pro nobis.

Ad Magnif. Ant. Hic est beátus Vedástus, * quem fama celébrior verbum Dei prædicatúrum Clodovéo regi sócium itíneris adscívit.

Oratio

Deus, qui nos devóta beáti Vedásti Confessóris tui atque Pontíficis instántia, ad agnitiónem tui sancti nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius ; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Stans beáta Agatha in médio cárceris, expánsis mánibus orábat ad Dóminum : Dómine Jesu Christe, magíster bone, grátias tibi ago, qui me fecísti víncere torménta carníficum : jube me, Dómine, ad immarcescíbilem glóriam felíciter perveníre.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius ; ut, qui beátæ Agathæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur.

Deinde Com. S. Titi Ep. et Conf. (Duplex) :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut juste et pie vivéntes in hoc sǽculo, ad cæléstem pátriam perveníre mereámur.

Postea, post Com. Feriæ in Quadrag., Com. S. Dorotheæ Virg. et Mart. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quǽsumus, Dómine, beáta Doróthea Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Complet. de Feria.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Voce jucúnda, ut supra 37

Ant., Psalmi et Versus trium Noct. de Feria, ut in Psalterio ; Lectiones ut infra.

In I Nocturno

De Epístola prima
beáti Pauli Apóstoli
ad Timótheum

Lectio i Cap. 3, 1-7

Fidélis sermo : Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne, in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Hic est beátus Vedástus, * Quem fama celébrior verbum Dei prædicatúrum Clodovéo regi sócium itíneris ascívit. ℣. Quátenus per síngulos itíneris sui gressus salubérrimis ab eo imbuerétur doctrínis. Quem.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1, 7-11

OPÓRTET enim epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem: non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, et seductóres: máxime qui de circumcisióne sunt quos opórtet redárgui: qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Vedástus ígitur festinántem ad vitæ fontem deducébat regem: * Remígius autem Póntifex veniéntem abluébat. ℣. Ambo pene pari pietáte patres, sed Vedástus mónita salútis dabat. Remígius.

Lectio iii Cap. 2, 1-8

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam: Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia: Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile: ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Dum ergo iter cárperet cum rege sacérdos Vedástus : * Et occurrénti cæco lumen restítuit, et cor príncipis in fide solidávit. ℣. Sensit ítaque vir Dei virtútem sibi adésse supérnam, et totum se in sacras effúndens preces. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Lectio iv

VEDÁSTUS, relíctis ab adolescéntia paréntibus et prædiis amplíssimis, cæléstem ac véluti angélicam Tulli Leucórum vitam agébat, cum eo tránsiens Clodovéus a fusis Alemánnis Rhemos properáret a sancto Remígio baptizándus. Vedástum tunc presbýterum ex sanctitátis et doctrínæ fama notum rex ascívit viæ cómitem ac futúrum sibi in fídei christiánæ rudiméntis præceptórem. Porro in itínere cóntigit ut cæcus óbviam factus per sancti viri preces et mérita lumen oculórum recíperet. Quo miráculo firmátus Clodovéus atque salutáribus mónitis instrúctus, baptísmi grátiam lætus accépit.

℟. Qui de rupe árida sitiénti pópulo fontem aquæ vivæ prodúxit : * Ipse beátum Vedástum de sicco vase vinum manáre concéssit. ℣. Cum pócula vitæ vir Dómini cuídam propináret amíco, qui in Cana Galilǽæ aquam convértit in vinum. Ipse.

Lectio v

RHEMIS aliquámdiu commorátus est Vedástus, piis júgiter opéribus invígilans, egénis impértiens cibum, levámen ægris, omnes ubíque verbis adhórtans et infórmans exémplis ; donec a sancto Remígio ordinátus est epíscopus ut ecclésias Atrebaténsem et Cameracénsem, a Bárbaris pénitus vastátas, restitúeret, ac fídei lumen in his pártibus fere exstínctum rursus accénderet. Atrébatum véniens, in ipso civitátis intróitu cæcum et claudum eleemósynam peténtes sanávit; dein, ómnia perlústrans, ecclésiæ beátæ Maríæ Vírginis ruínas invénit, véprium densitáte coopértas, ferarúmque perfúgium.

℟. Prædicátor egrégius vir Dómini Vedástus urbi Atrébatæ destinátus, in ipsa urbis porta, duos a clade relevávit ægrótos : * Nam et claudo gressum et cæco lumen réddidit oculórum. ℣. Antequam verbis instrúeret, mirháculis coruscábat ; qui cadúcis carébat, múnera est supérna largítus. Nam.

Lectio vi

Tum vir Dei, supérna confísus ope et oratiónis auxílio fretus, ad opus se fórtiter accínxit. Quod ita Dómino largiénte perfécit ut res christiána multis in locis floirésceret, et úndique templa consúrgerent ubi fidélium cópia sub minístris a Vedásto institútis coadunarétur. Tandem exáctis in pontificátu annis quadragínta, dum colúmna lucis splendidíssima e cælo descéndens ejus tránsitum nuntiáret, ex hoc sæculo migrávit octávo Idus Februárii, anno Dómini quingentésimo trigésimo nono. Corpus ejus in ecclésia beátæ Maríæ Atrebaténsi tumulátum e terra levávit sanctus Autbértus, atque in monastérium tránstulit quod condíderat, sancti Vedásti nómine insignítum.

℟. O beátum virum Vedástum Pontíficem, cujus éxitum colúmna lucis edócuit : * Ut verus Israël ab Ægýpti ærúmnis ad promíssa regna perceptúrus præmia festináret. ℣. Visa est ígitur spátio duárum horárum colúmna lucis a domo Pontíficis usque ad cæli fastígium eminére. Ut. Glória Patri. Ut

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10, 1-9

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 17 in Evang.

Dóminus et Salvátor noster, fratres caríssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus præcépta sunt; quia, dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos in prædicatiónem discípulos mittit; quia duo sunt præcépta caritátis, Dei vidélicet amor, et próximi, et minus quam inter duos cáritas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére caritátem dícitur; sed diléctio in álterum tendit, ut cáritas esse possit.

℟. Ad laudem et glóriam nóminis Dei altíssimi, mónitis angélicis ædificátum est templum in memóriam beáti Vedásti : * In quo glorificétur Dei Unigénitus in sǽcula. ℣. Hic est beátus Vedástus, in cujus memóriam templum fíeri ab Angelis jussum est homínibus. In quo.

Lectio viii

Ecce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit ; quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia, qui caritátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus debet. Bene autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur; quia prædicátio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcúrrunt : atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. Doctor exímius Atrebaténsium Vedástus sacris præcóniis celebrétur, ut quos in carne verbis et exémplis instrúxit :

℟. Sédulus pro eis apud Dóminum intercédat, ne lupus insídians oves Christi incursáre præsúmat. ℣. Ut quos spiritáli stúdio informávit, mónitis ac miráculis animávit. Sédulus. Glória Patri. Sédulus.

In Quadrag., ix Lect. Feriæ ; alias
Pro S. Tito Ep. et Conf. :

Lectio ix

TITUS, Creténsium epíscopus, qui inter discípulos Doctóris Géntium méruit cooptári, ádeo evangelizándi ardóre et fidelitáte Paulo éxstitit carus, ut, cum hic venísset Tróadem propter Evangélium Christi, testátus sit, non habuísse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invénerit. Et paulo post Macedóniam petens, suam in eum caritátem ita confírmat : Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi. Corínthum ab Apóstolo missus, sapiénter functus est múnere hujus legatiónis, quæ præsértim eleemósynas colligéndas ad sublevándam ecclésiæ Hebræórum inópiam spectábat. Interim ad effundéndum divíni verbi semen inter Gentes, linguis locísque distínctas, post tot itínera et labóres, cum duce Paulo Cretam ínsulam áppulit. Porro, cum isti ecclésiæ epíscopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, seípsum præbuit exémplum bonórum óperum. Tráditur ipse inter Dálmatas, ut crucis vexíllum explicáret, strénue consudásse. Tandem, plenus méritis, quarto supra nonagésimum anno, óbiit in Dómino.

Te Deum laudámus.

Sicubi vero extra Quadrag. dicenda non sit ix Lectio alicujus Officii commemorati, erit sequens

Lectio ix

HINC namque eísdem prædicatóribus Isaías dicit : Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri. Hinc fíliis Psalmísta ait : Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit : quia unde in passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit; quia mortem, quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo, qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus prædicámus, ut eas et ipse post véniens, per amóris sui præséntiam illústret.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Dedit Dóminus * grátiam beáto Vedásto gentem Francórum docéndi atque lucrándi.

Pss. de Dom. 1º loco.

2 Per hunc Clodovéus rex * salubérrimis christiánæ fídei instrúctus est doctrínis.

3 Vedástus * ad fontem vitæ festinántem deducébat regem : Remígius in fonte salútis veniéntem abluébat.

4 Ambo pari pietáte patres ætérno Regi regem temporálem munus obtulérunt acceptábile.

5 Divína providéntia * beátus Vedástus ad prædicándum verbum vitæ Atrébatæ diréctus est urbi.

Capit. Eccli. 44, 16-17

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

Felix Vedástus Póntifex,
Cujus cælum mens póssidet,
Corpus repóni spléndido
Templo desígnant Angeli.
Te, Pastor alme, pétimus
Nobis depóscas véniam,
Ut nos supérna cívitas
Perénnes cives hábeat.
Honor, virtus et glória,
Potéstas et impérium
Sit Trinitáti únicæ
In sempitérno témpore.
Amen.

℣. Confessor sancte et Sacérdos magne. ℟. Beáte Vedáste, intercéde pro nobis.

Ad Bened. Ant. Prædicátor egrégius * vir Dómini Vedástus, urbi Atrébatæ destinátus, in ipsa urbis porta duos a clade relevávit ægrótos.

Oratio

Deus, qui nos devóta beáti Vedásti Confessóris tui atque Pontíficis instántia, ad agnitiónem tui sancti nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius ; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Titi :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEUS, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut juste et pie vivéntes in hoc sǽculo, ad cæléstem pátriam perveníre mereámur. (Per Dóminum.)

Deinde, post Com. Feriæ in Quadrag., fit Com. S. Dorotheæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

INDULGÉNTIAM nobis, quǽsumus, Dómine, beáta Doróthea Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Ad Horas Ant. et Psalmi de Feria, Lect. br. ad Primam, Capit. et ℟℟. br. de Comm. Conf. Pont.

Sicubi autem hoc Festum sub ritu duplici I vel II classis recolatur, Ant. de Laud. cum Pss. de Dominica ut in Festis.

IN II VESPERIS

Ant. ut ad Laudes, Pss. de Dom., et loco ultimi Ps. 131 Meménto, de Comm. Conf. Pont.

A Capit. fit de seq., Com. præced., S. Romualdi Abb., S. Titi Ep. et Conf. ac Feriæ in Quadrag.

Si II Vesp. dicendæ sint integræ, Capit., Hymnus et ℣. ut in I Vesp., Ant. ad Magnif. O beátum, ut infra 46

DIE 7 FEBRUARII

SANCTI CHRYSOLII

EP. ET MART.

Duplex

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

Deus, qui nos beáti Chrysólii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dñ.

Et fit Com. præced. :

Ant. O beátum virum Vedástum Pontíficem, cujus éxitum colúmna lucis edócuit.

℣. Conféssor sancte et Sacérdos magne. ℟. Beáte Vedáste, intercéde pro nobis.

Oratio

Deus, qui nos devóta beáti Vedásti Confessóris tui atque Pontíficis instántia, ad agnitiónem tui sancti nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Romualdi Abb. (Duplex) :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Romuáldi Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Postea S. Titi :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut juste et pie vivéntes in hoc sǽculo, ad cæléstem pátriam perveníre mereámur. (Per Dóminum.)

Et in Quadrag., fit Com. Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

Beátus Chrysólius, regáli stirpe éditus, minóris Arméniæ pártibus oriúndus ab infántia litterárum stúdiis, sacro innovátus baptísmate, informátur. In quibus se usque ádeo exércuit, tantámque adhíbuit óperam, ut propter eminéntem sciéntiam et vitæ sanctimóniam ad pontificális dignitátis fastígium sublimári merúerit. Grassánte vero Diocletiáni et Maximiáni persecutióne, pátria excédere coáctus, Romam pétiit, illud domínicum adímplens : Si vos persecúti fúerint in una civitáte, fúgite in áliam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v

Inde ad prædicándum Christi Evangélium missus, in Gálliam perréxit. Cum vero ab urbe Roma egrederétur, sócium se dedit beatíssimis Christi Martýribus Quintíno, Crispíno et Crispiniáno, Luciáno, Fusciáno, Victoríco, Piáto et áliis qui ad fidem Christi prædicándam iísdem in pártibus fúerant destináti. Difficile est loca, regiónes et pópulos sigillátim exprímere, quibus beátus Chrysólius verbum salútis disseminávit. Qui tandem pópulis quamplúrimis ab erróribus convérsis, ad locum vulgo Verlínghem, in Insulénsi território situm, pervénit, non véritus incrédulæ gentis expétere feritátem.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi

Cum plúrimos suis exhortatiónibus ac mónitis salubérrimis ad veritátis lumen adduxísset, et ejus sanctitátis fama ad tyránnum pervenísset, extémplo captus a satellítibus, atrócibus affectus injúriis, flagellátus, cápitis tandem amputáto vértice, agónem suum consummávit, Diocletiáno imperánte. Comínii ad Lísiam e terra sublevátus, honorífice in ecclésia per beátum Elígium epíscopum collocátus est. Unde pars óssium transláta est Brugas, ubi nunc étiam in ecclésia cathedráli pie servátur.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 32 in Evang.

Dicat ergo véritas : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum ; quia, nisi quis a semetípso defíciat, ad eum, qui super ipsum est, non appropínquat : non valet apprehéndere quod ultra ipsum est, si nescíerit mactáre quod est. Sic ólerum plantæ transponúntur ut profíciant, atque, ut ita díxerim, eradicántur ut crescant. Sic rerum sémina in terræ admixtióne defíciunt, ut in reparatióne sui géneris ubérius assúrgant. Unde enim vidéntur perdidísse quod erant, inde accípiunt hoc apparére quod non erant.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii

Séquitur : Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Sic dícitur fidéli, ac si agrícolæ dicátur : Fruméntum si servas, perdis ; si séminas, rénovas. Quis enim nésciat quod fruméntum, cum in sémine mittitur, perit ab óculis, in terra déficit ? Sed unde putréscit in púlvere, inde viréscit in renovatióne. Quia vero sancta Ecclésia áliud tempus habet persecutiónis, atque áliud pacis, Redémptor noster ipsa ejus témpora distínguit in præcéptis. Nam persecutiónis témpore ponénda est ánima : pacis autem témpore, ea quæ ámplius dominári possunt, frangénda sunt desidéria terréna.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

In Quadr., ix Lect. de Homilia Feriæ; alias

Pro S. Romualdo Abb:

Lectio ix

ROMUÁLDUS, Ravénnæ Sérgio patre nóbili génere natus, adoléscens in propínquum monastérium Classénse, pœniténtiæ causa, secéssit : ubi, ad pietátis stúdium veheméntius incénsus, et beáti Apollináris apparitióne recreátus, mónachus effícitur. Jejúniis et oratiónibus assídue se exércuit, vultu tamen ádeo lætus, ut intuéntes exhilaráret. Martýrii cupiditáte flagrans, dum in Pannóniam proficíscitur, morbo corréptus, revérti cógitur. Institúti monachórum Camaldulénsium auctor fuit, quos tamquam ángelos scalam cælum pertingéntem ascéndere per visum conspéxit. Dénique, cum annos centum et vigínti ágeret, et centum ipsos in summa vitæ asperitáte Deo servísset, ad eum migrávit, anno salútis millésimo vigésimo séptimo, et Fabriáni in ecclésia sui órdinis honorífice cónditus est.

Te Deum laudámus.

Sicubi vero extra Quadrag. dicenda non sit ix Lectio alicujus Officii commemorati, erit sequens

Lectio ix

UNDE et nunc dícitur : Quid enim próficit homo, si lucrétur totum mundum, se autem perdat et detriméntum sui fáciat? Cum persecútio ab adversáriis deest, valde vigilántius cor custodiéndum est. Nam pacis témpore, quia licet vívere, libet étiam ambíre. Quæ profécto avarítia bene compéscitur, si ipse status ambiéntis sollícite considerétur. Nam cur instet ad colligéndum, quando stare non potest ipse qui cólligit? Cursum ergo suum quisque consíderet, cognóscet sibi suffícere parva quæ habet.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio C 2

DEUS, qui nos beáti Chrysólii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Romualdi:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

INTERCÉSSIO nos, quǽsumus, Dómine, beáti Romuáldi Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Deinde, in Quadrag., Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

Fit a Capit. seq. Festi S. Joannis de Matha Conf., Com. præced.:

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus et Oratio Deus, ut supra.

Deinde S. Romualdi:

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum, et Oratio Intercéssio, ut supra.

Postea, in Quadrag., Com. Feriæ.

DIE 13 FEBRUARII

(d. a. ex 6 huj.)

SANCTI AMANDI
EP. ET CONF.

Duplex (m. t. v.)

In II Vesp. præced. Festi Ss. Septem Fundatorum fit a Capit. de seq.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Deus, qui beátum Amándum Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum gentes plúrimas Ecclésiæ tuæ aggregásti : concéde propítius ; ut, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. : Ant. Nomen eórum pérmanet in ætérnum, pérmanens ad fílios eórum, sanctórum virórum glória.

℣. Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. ℟. Semen eórum et glória eórum non derelinquétur.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, ad recoléndam memóriam dolórum sanctíssimæ Genitrícis tuæ, per septem beátos Patres nova Servórum ejus família Ecclésiam tuam fœcundásti : concéde propítius ; ita nos eórum consociári flétibus, ut perfruámur et gáudiis : (Qui vivis et regnas.)

Deinde, in Quadrag., Com. Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

Amándus, génere Aquitánus, in Ogia ínsula non procul a Rupélla monásticam vitam ampléxus, inde Túrones proféctus ad sepúlcrum sancti Martíni cléricus factus est. Bitúricis póstea in céllula per quíndecim círciter annos commorátus, religiónis stúdio Romam se cóntulit. Cui ad Apostolórum límina aliquándo pernoctánti appáruit sanctus Petrus, monens ut in Gállias redíret Christum prædicatúrus. Tunc, impellénte potíssimum Clotário rege, epíscopis étiam faventibus, apostólicus epíscopus consecrátus est ut géntibus evangelizáret, quod multis ingénti cum fructu præstitit, præcípue Sclavis circa Danúbium, Vascónibus ad Pyrenæos saltus, et in Bélgio Gandavénsibus ac Pabulénsibus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Cum autem Dagobérti regis lúbricos amóres constánter argúeret, ab eo in exsílium péllitur. Haud multo post, rege ad meliórem frugem redúcto, Amándum cum honóre revocátum Gállia óbviis ulnis excépit. Tumque instantíssime rogátus, Sigebértum regis fílium baptizávit. Trajécti ad Mosam epíscopus constitútus, cum ob cleri præcípue contumáciam statuísset sese episcopátus onéribus abdicáre, ne id fáceret, Martínus Papa primus dissuásit per epístolam, simúlque misit ad eum acta sýnodi Románæ contra Monothelítas, ut epíscopi Gálliæ in concílio acceptárent ea quæ pro orthodóxa fide statúta fúerant.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Simul Martínus Papa mónuit Amándum ut Sigebérto regi suggéreret de mitténdis Romam Gallis epíscopis, ut legatióne apostólica fungeréntur, acta synodórum prædictárum Románæ ac Gallicánæ Constantinópolim delatúri. Crescénte autem in dies clericórum Trajecténsium contumácia, Amándus, púlverem de pédibus excútiens, ad ália loca perréxit Evangélii prædicándi causa. Exstrúctis dénique tum in Gállia, tum in Bélgio plúribus ecclésiis et cœnóbiis, in monastério Elnonénsi quod Chilpérico rege dotánte fundáverat, sanctíssime óbiit octávo Idus Februárii, anno Dómini sexcentésimo octogésimo quarto. Hoc vero cœnóbium, a commoratióne et sepultúra Sancti célebre, Amandínum póstea dictum est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Vigiláte, de Communi Conf. Pont. 2º loco.

In Quadrag., ix Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui beátum Amándum Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum gentes plúrimas Ecclésiæ tuæ aggregásti : concéde propítius ; ut, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Deus, ut supra.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

Deinde S. Valentini Presbyteri et Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

DIE 20 FEBRUARII

S. ELEUTHERII

EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

PROPITIÁRE, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Eleuthérii Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa : ut, cujus hódie natalítia cólimus, ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

Lectio iv

ELEUTHÉRIUS, Childérico regnánte, natus est Tornáci paréntibus christiánis Seréno et Blanda, qui cum céteris fidélibus inde exsuláre coácti propter fidem, ad vicínum Blandínium transmigrárunt, témpore quo Clodovéus, Childérici fílius, bellum contra Syágrium et Romános christiános apparábat. Haud multo post, debelláto Syágrio, cum per Clotíldem Clodovéi nondum christiáni cónjugem, concéssa fuísset libértas reparandárum ecclesiárum, simúlque religiónem christiánam exercéndi, Blandínii constrúcta est ecclésia.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

MÓRTUO Theodóro epíscopo, in ejus locum sufféctus est Eleuthérius, sicut ei púero sanctus Medárdus et ipse puer prædixísse fertur. Qui, dum verbo et exémplo sicut bonus pastor, gregem suum régeret ac custodíret, ejúsdem amplificándi grátiam consecútus est singulárem. Postquam enim fíliam tribúni, qui Tornáco prǽerat et locis circumquáque ad Scaldim flúvium, suscitásset a mórtuis, urbémque a peste liberásset, tribúnum ipsum cum família civiúmque ingénti multitúdine ad Christum convértit. Décimo ordinatiónis suæ anno, Tornácum e Blandínio migrans, una hebdómada úndecim hóminum míllia baptizávit, ob idque Tornáci apóstolus nuncupári méruit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

SED qui in amplificándo grege felíciter incúbuit, in eo adunándo totum se dedit. Nam cum per Ariánam hǽresim scinderétur, Eleuthérius Romam proféctus Sýmmacho Papæ óbtulit fídei suæ libéllum, juxta quem revérsus constánter dócuit, lapsósque ad unitátem revocávit. Iterum Romam ádiit sub Hormísda Papa, occasióne Acephalórum, advérsus quos collégit sýnodum episcopórum. Cum autem egrederétur de ecclésia beátæ Maríæ, ab hæréticis gráviter in cápite vulnerátus et jam morti próximus, fídei cathólicæ professiónem dictávit, quam Audoéno discípulo dedit ad Bonifácium Papam mitténdam. Cæcum illuminávit, curávit infírmos, et pro inimícis orávit. Tandem pane cælésti reféctus óbiit, anno Christi quingentésimo trigésimo primo, pontificátus autem quadragésimo quinto. Sepúltus est a sancto Medárdo Blandínii in basílica Príncipis Apostolórum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 9 in Evang.

SCIÉNDUM est quod nullus piger ab hac talénti acceptióne secúrus est. Nullus namque est, qui veráciter dicat : Taléntum mínime accépi, non est unde ratiónem pónere cogar. Talénti enim nómine, cuílibet páuperi étiam hoc ipsum reputábitur, quod vel mínimum accépit. Alius namque accépit intelligéntiam : prædicatiónis ministérium debet ex talénto. Alius terrénam substántiam accépit : erogatiónem talénti debet ex rebus. Alius dídicit artem qua páscitur : ipsa ars ei in talénti acceptióne reputátur. Alius familiaritátis locum apud dívitem méruit : taléntum profécto familiaritátis accépit. Si ergo nihil pro indigéntibus lóquitur, pro talénti retentióne damnátur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii

TANTUM quippe ad unoquóque nostrum ventúrus judex éxiget quantum dedit. Ut ergo de talénti sui ratiónibus, redeúnte Dómino, quisque secúrus sit, cum timóre penset quotídie quid accépit. Ecce namque jam juxta est, ut ille, qui péregre proféctus est, rédeat. Quasi quippe péregre ábiit, qui scílicet de hac terra in qua natus est, longe discéssit. Sed profécto revértitur, ut de taléntis ratiónes ponat : quia, si a bona actióne torpéscimus, de ipsis donis quæ cóntulit, nos distríctius júdicat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

In Quadrag., ix Lectio de Homilia Feriæ ; alias

Lectio ix

CONSIDERÉMUS ergo quæ accépimus, atque in eórum erogatióne vigilémus. Nulla nos a spirituáli ópere terréna cura impédiat, ne, si in terra taléntum abscónditur, talénti Dóminus, ad iracúndiam provocétur. Piger étenim servus, cum jam culpas Judex exáminat, taléntum de terra levat : quia sunt pleríque qui tunc se a terrénis desidériis vel opéribus súbtrahunt, quando jam per animadversiónem Júdicis ad ætérnum supplícium trahúntur. Ante ergo de talénti nostri ponénda ratióne vigilémus, ut, cum jam Judex ad feriéndum ímminet, lucrum nos quod fécimus, excúset.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

PROPITIÁRE, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Eleuthérii Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa : ut, cujus hódie natalítia cólimus, ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio ut supra.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

FESTUM MARTII

DIE 2 MARTII

BEATI CAROLI BONI
FLANDRIÆ COMITIS
MARTYRIS

Duplex

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

OMNÍPOTENS et misericors Deus, qui beátum Cárolum príncipem, justítiæ tuéndæ zelo succénsum, glorióso martýrio illustráre voluísti : da nobis, ejus patrocínio et exémplo ; sic omnem implére justítiam, ut vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

In I Noct., si de Comm. dicendæ sint, Lectiones Fratres : Debitóres, ut in Comm. plur. Mm., cum ℟℟. de Comm. unius Mart.

In II Nocturno

Lectio iv

CÁROLUS cognoménto Bonus in Dánia natus est patre sancto Canúto rege et mártyre, matre vero Adéla regína, fília Robérti Frisónis, soróre Robérti Hierosolymitáni, Flándriæ cómitum. Vix biénnis, patre interfécto, Dániam relínquere et cum matre in Flándriam excédere coáctus est. Adolescéntiam egréssus, accépto crucis signo, Hierosólymam proféctus est, atque advérsus Christi hostes strénue ac fórtiter dimicávit. In Flándriam revérsus, Balduínum cómitem consíliis ac mónitis juvit, absentísque vices non semel egit. Margarítam, Raynáldi Claromontáni cómitis fíliam, uxórem duxit : quo matrimónio Ambianénsem comitátum acquisívit. Defúncto Balduíno, Cárolus Flándriæ comes eléctus est unánimi cleri populíque suffrágio, cui óptimi quique nobílium adhæsérunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v

PRINCIPÁTU potítus vir Dei, quemádmodum sibi súbditis moderabátur império, ita præíre stúduit exémplo : pius in Deum, profúsus in páuperes, justítiæ tenax, domi prudens, in bello fortis, exímium Flándriæ decus ac præsídium fuit. Ecclesiástici órdinis observantíssimus, templa ac monastéria cum e fundaméntis exstrúxit, tum dote ac redítibus auxit. Tam præcláris virtútibus egrégia accéssit humílitas, quæ tunc máxime elúxit, cum, ad sacrum Románum impérium vocátus, tanti honóris fastígium summa ánimi moderatióne rénuit accípere, ac Hierosolymórum regnum pari modéstia recusávit. In summa annónæ caritáte, cum viri quidam præpoténtes rei frumentáriæ monopólium exercérent, odiósum fácinus Cárolus impedívit, nec suis parcens bonis, tum crebris largitiónibus, tum públicis edíctis ínopum necessitáti subvénit. Nefários hómines, incéndio ac cæde ómnia miscéntes, magna vi compéscuit legibúsque subjécit. Qui, cum justíssimas pœnas a beáto cómite sibi irrogándas metúerent, illáta ei nece prævértere constituérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi

SORTEM patris sui sancti Canúti sibi imminére præséntiens Cárolus, se ad mortem pro justítia cum pietáte obeúndam fórtiter præparávit. Opinióne cítius sceleráta manus, die secúnda Mártii anni millésimi centésimi vigésimi séptimi, ipsi lethálem ictum infíxit in templo sancti Donatiáni oránti, et bráchium ad eleemósynas extendénti. Tanti flagítii rumor pátriam univérsam regionésque longínquas veheménter commóvit. Illico étiam beáti Príncipis cœpit devótio et concúrsus fidélium ad ejus relíquias colligéndas et veneratióne honorándas confluéntium, non sine miraculórum fama. Sacrum autem cultum ei a pópulis sine intermissióne ad nostra usque témpora exhíbitum Leo décimus tértius, Póntifex máximus, ex consúlto Sacræ Rítuum Congregatiónis, Apostólica auctoritáte confirmávit ; ínsuper ut ejus festum Offício ac Missa recolerétur indúlsit, atque beátum Cómitem tamquam secundárium Patrónum civitáti et diœcési Brugénsi assignávit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 9 in cap. Matth. 5

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam. Non dixit : Beáti qui a géntibus persecutiónem patiúntur, ne putes illum solum beátum, qui persecutiónem pátitur propter idóla non colénda. Ideo et qui ab hæréticis persecutiónem pátitur propter veritátem non relinquéndam, beátus est : quia propter justítiam pátitur. Gentíles enim Christum dénegant, hærétici autem veritátem Christi. Qui autem veritátem Christi dénegat, ipsum dénegat Christum. Christus enim véritas est. Et ídeo hærétici, qui non propter Christum persecutiónem fáciunt, sed propter veritátem Christi, in prima fácie christiáni vidéntur, revéra autem gentíles sunt.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Si ix Lectio de Homilia Feriæ dicenda non sit extra Quadrag., ex viii Lectione fiunt duæ, quarum prior desinit ad signum ¶.

Lectio viii

NON solum hæréticus, sed et si áliquis ex poténtibus, qui vidéntur esse christiáni, fórsitan propter peccáta sua corréptus, factus fúerit tibi inimícus, et persecútus te fúerit, beátus es cum Joánne. Nam et Joánnes Baptísta neque propter gentilitátem, neque propter hǽresim interféctus est, sed quia corripiébat Heródem propter adultérium ejus. Sed et omnes prophétæ, neque a gentílibus régibus, sed a suis occísi sunt, non propter gentilitátem, sed quia corripiébant eórum peccáta. ¶ Si autem qui a suis ipsis propter causam Dei áliquid pátitur, non habet mercédem, nec prophétæ habuérunt. Si autem verum est quod prophétæ mártyres sunt, sine dúbio et qui propter causam Dei áliquid pátitur, etsi a suis pátitur, mercédem habet. Ideo non pósuit Scriptúra persónas persequéntium, sed solam causam persecutiónis, ut tu non aspícias quis te perséquitur, sed ut quid te persequátur.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

In Quadrag., ix Lectio de Homil. Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui beátum Cárolum príncipem, justítiæ tuéndæ zelo succénsum, glorióso martýrio illustráre voluísti : da nobis, ejus patrocínio et exémplo ; sic omnem implére justítiam, ut vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Oratio Omnípotens, ut supra.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

INDEX

DECEMBER

1 S. Eligii Ep. et Conf., *dupl. maj* 7
14 S. Folquini Ep. et Conf., *dupl* 12
16 S. Everardi Conf., *dupl.* 15
17 Ss. Nicasii et Soc. Mm., *dupl.* 20

JANUARIUS

3 S. Genovefæ Virg., *dupl* 23
27 B. Joannis Warnestonensis Ep. et Conf., *dupl* 27

FEBRUARIUS

1 S. Euberti Ep. et Conf., *dupl. maj* 31
6 S. Vedasti Ep. et Conf., *dupl.* 36
7 S. Chrysolii Ep. et Mart., *dupl* 45
13 S. Amandi Ep. et Conf., *dupl.* 51
20 S. Eleutherii Ep. et Conf., *dupl.* 54

MARTIUS

2 B. Caroli Boni Mart., *dupl* 58

Concordat cum originali.

Insulis, die IV Maji MCML.
P. Lestienne.

Imprimatur.

Turonibus, die XXVIII Octobris MCMXL.
† LUDOVICUS-JOSEPHUS
Archiepisc. Turon.

Imprimé en France.

1294-1950. — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 4e trimestre 1950.

OFFICIA PROPRIA
ECCLESIÆ
INSULENSIS

A SS. D. N. PIO X
APPROBATA
AC DE MANDATO
EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI
DD. ACHILLEI LIÉNART
TITULI SANCTI XYSTI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
INSULENSIS EPISCOPI
EDITA

NOVA EDITIO

PARS VERNA



TURONIBUS
SUMPTIBUS ET TYPIS MAME
Sanctæ Sedis Apostolicæ et Sacræ Rituum Congregationis
Typographorum

KALENDARIUM PERPETUUM
IN USUM
DIŒCESIS INSULENSIS

JANUARIUS

3 S. Genovefæ Virg., *dupl.* Com. Oct. S. Joannis Ap. et Ev.
27 B. Joannis Warnestonensis Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (*dupl.*).

FEBRUARIUS

1 S. EUBERTI EP. ET CONF., Civit. Insul. PATRONI SECUNDARII, *dupl. maj.* Com. S. Ignatii Ep. et Mart. (*dupl.*).
6 S. Vedasti Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Titi Ep. et Conf. (*dupl.*) ac S. Dorotheæ Virg. et Mart.
7 S. Chrysolii Ep. et Mart., *dupl.* Com. S. Romualdi Abb. (*dupl.*).
13 S. Amandi Ep. et Conf. (d. a. ex 6 huj.), *dupl.*
20 S. Eleutherii Ep. et Conf., *dupl.*

MARTIUS

2 B. Caroli Boni, Comitis Flandriæ, Mart., *dupl.*

APRILIS

10 S. Macarii Ep. et Conf., *dupl.*
16 S. Mariæ Bernardæ Soubirous Virg., *dupl.*

MAJUS

4 S. Godehardi Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Monicæ Vid. (*dupl.*).
5 S. Mauronti Abb., *dupl.* Com. S. Pii V Papæ et Conf. (*dupl.*).
30 S. JOANNÆ DE ARC VIRG., GALLIÆ PATRONÆ SECUNDARIÆ, *dupl. II cl.* Com. S. Felicis I Papæ et Mart.
31 B. M. V. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS, *dupl. maj.* Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. (*dupl.*) ac S. Petronillæ Virg.
Feria V infra Octavam Ssmi Cordis Jesu : EUCHARISTICI CORDIS JESU, *dupl. maj.*

JUNIUS

3 S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *dupl.*
8 S. Medardi Ep. et Conf., *dupl.*
14 COMMEMORATIO MIRACULORUM B. MARIÆ VIRG., titulo CANCELLATÆ, *dupl. maj.* Com. S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct. (*dupl.*).

27 Bb. Mariæ Magdalenæ Fontaine et trium Sociarum ejus Vv. et Mm., *dupl.* Com. Oct. S. Joannis Baptistæ.

JULIUS

3 B. Petri a Luxemburgo Conf. (d. a. e 2 huj.), *dupl.* Com. S. Leonis II Papæ et Conf. (*semid.*) et Octavæ Ss. App.
19 S. VINCENTII A PAULO CONF., *dupl. maj.*
20 S. Vulmari Abb., *dupl.* Com. S. Hieronymi Conf. (*dupl.*) ac S. Margaritæ Virg. et Mart.

AUGUSTUS

9 S. Joannis Mariæ Vianney Conf., *dupl.* Com. Vigiliæ S. Laurentii ac S. Romani Mart.
25 S. LUDOVICI REGIS, CONF., *dupl. maj.*

SEPTEMBER

5 S. Bertini Abb., *dupl.* Com. S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. (*semid.*).
9 S. Audomari Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Gorgonii Mart.
11 B. M. V. sub titulo DE DUNIS, *dupl. maj.* Com. Ss. Proti et Hyacinthi Mm.
13 S. Amati Ep. et Conf., *dupl.*

OCTOBER

1 S. REMIGII EP. ET CONF., *dupl. maj.*
3 S. TERESIÆ A JESU INFANTE VIRG., GALLIÆ PATRONÆ SECUNDARIÆ, *dupl. II cl.*
5 S. Piati Presb. et Mart. (d. a. e 1 huj.), *dupl.* Com. Ss. Placidi et Soc. Mm.
9 Ss. DIONYSII EP., RUSTICI ET ELEUTHERII MM., *dupl. maj.* Com. S. Joannis Leonardi Conf. (*duplex*).
16 S. Mommoleni Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Hedwigis Vid. (*semid.*).
27 Vigilia Ss. Simonis et Judæ App.
28 **B. MARIÆ VIRG., TITULO CANCELLATÆ, CIVIT. ET DIŒC. PATRONÆ AC TITUL. ECCL. CATHEDRALIS,** *dupl. I cl.* cum Octava communi.
29 SS. SIMONIS ET JUDÆ APP. (d. a. e 28 huj.), *dupl. II cl.*
30 De Octava, *semid.*
31 De Octava, *semid.* Com. Vigiliæ Omnium Sanctorum.

NOVEMBER

3 De Octava Omnium Sanctorum, *semid.* Com. Oct. B. Mariæ Virg. Cancellatæ.
4 OCTAVA B. MARIÆ VIRG. CANCELLATÆ, *dupl. maj.* Com. S. Caroli Ep. et Conf. (*dupl.*). Oct. Omnium Sanctorum ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.

5 Ss. RELIQUIARUM QUÆ IN ECCLESIIS DIŒCESIS ASSERVANTUR, *dupl. maj.* Com. Oct. Omnium Sanctorum.

6 S. Winnoci Abb., *dupl.* Com. Octavæ.
In Ecclesiis consecratis, **DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ,** *dupl. I cl.* cum Oct. communi. Com. S. Winnoci Abb. (*dupl.*).

7 S. Willibrordi Ep. et Conf., *dupl.* Com. Oct.
In Ecclesiis consecratis, Com. Oct. Omnium Sanctorum et Oct. Dedicationis.

8 OCTAVA OMNIUM SANCTORUM, *dupl. maj.* Com. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.
In Ecclesiis consecratis, Com. Oct. et Ss. Quatuor Coronatorum.

9 DEDICATIO ARCHIBASILICÆ SSMI SALVATORIS, *dupl. II cl.* Com. S. Theodori Mart.

10 S. Andreæ Avellini Conf., *dupl.* Com. Ss. Tryphonis et Soc. Mm.
In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ et Ss. Tryphonis et Soc. Mm.

11 S. MARTINI EP. ET CONF., *dupl. maj.* Com. S. Mennæ Mart.
In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ et S. Mennæ Mart.

12 S. Martini I Papæ et Mart., *semid.*
In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ.

13 S. Didaci Conf., *semid.*
In Ecclesiis consecratis, OCTAVA DEDICAT. PROPRIÆ ECCLESIÆ, *dupl. maj.* Com. S. Didaci Conf. (*semid.*).

21 PRÆSENTATIO B. M. V., *dupl. II cl.*

DECEMBER

1 S. ELIGII EP. ET CONF., *dupl. maj.*

14 S. Folquini Ep. et Conf., *dupl.* Com. Oct.

16 S. Everardi Conf., *dupl.* Com. S. Eusebii Ep. et Mart. (*semid.*).

17 Ss. Nicasii et Soc. Mm. (d. a. e 14 huj.), *dupl.*

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS
INSULENSIS

PARS VERNA

FESTA FEBRUARII

DIE 13 FEBRUARII

(d. a. ex 6 huj.)

SANCTI AMANDI

EP. ET CONF.

Duplex (m. t. v.)

In II Vesp. præced. Festi Ss. Septem Fundatorum fit a Capit. de seq.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEUS, qui beátum Amándum Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum gentes plúrimas Ecclésiæ tuæ aggregásti : concéde propítius ; ut, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Nomen eórum pérmanet in ætérnum, pérmanens ad fílios eórum, sanctórum virórum glória.

℣. Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. ℟. Semen eórum et glória eórum non derelinquétur.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, qui, ad recoléndam memóriam dolórum sanctíssimæ Genitrícis tuæ, per septem beátos Patres nova Servórum ejus família Ecclésiam tuam fœcundásti : concéde propítius ; ita nos eórum consociári flétibus, ut perfruámur et gáudiis : (Qui vivis et regnas.)

Deinde Com. Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

Amándus, génere Aquitánus, in Ogia ínsula non procul a Rupélla monásticam vitam ampléxus, inde Túrones proféctus, ad sepúlcrum sancti Martíni cléricus factus est. Bitúricis póstea in céllula per quíndecim círciter annos commorátus, religiónis stúdio Romam se cóntulit. Cui ad Apostolórum límina aliquándo pernoctánti appáruit sanctus Petrus, monens ut in Gállias redíret Christum prædicatúrus. Tunc, impelléente potíssimum Clotário rege, epíscopis étiam faventibus, apostólicus epíscopus consecrátus est ut géntibus evangelizáret, quod multis ingénti cum fructu præstitit, præcípue Sclavis circa Danúbium, Vascónibus ad Pyrenǽos saltus, et in Bélgio Gandavénsibus ac Pabulénsibus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Cum autem Dagobérti regis lúbricos amóres constánter argúeret, ab eo in exsílium péllitur. Haud multo post, rege ad meliórem frugem redúcto, Amándum cum honóre revocátum Gállia óbviis ulnis excépit. Tumque instantíssime rogátus, Sigebértum regis fílium baptizávit. Trajécti ad Mosam epíscopus constitútus, cum ob cleri præcípue contumáciam statuísset sese episcopátus onéribus abdicáre, ne id fáceret, Martínus Papa primus dissuásit per epístolam, simúlque misit ad eum acta sýnodi Románæ contra Monothelítas, ut epíscopi Gálliæ in concílio acceptárent ea quæ pro orthodóxa fide statúta fúerant.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

SIMUL Martínus Papa mónuit Amándum ut Sigebérto regi suggéreret de mitténdis Romam Gallis epíscopis, qui legatióne apostólica fungeréntur, acta synodórum prædictárum Románæ et Gallicánæ Constantinópolim delatúri. Crescénte autem in dies clericórum Trajecténsium contumácia, Amándus, púlverem de pédibus excútiens, ad ália loca perréxit Evangélii prædicándi causa. Exstrúctis dénique tum in Gállia, tum in Bélgio plúribus ecclésiis et cœnóbiis, in monastério Elnonénsi quod Chilpérico rege dotánte fundáverat, sanctíssime óbiit octávo Idus Februárii, anno Dómini sexcentésimo octogésimo quarto. Hoc vero cœnóbium, a commemoratióne et sepultúra sancti célebre, Amandínum póstea dictum est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Vigiláte, de Communi Conf. Pont. 2º loco.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEUS, qui beátum Amándum Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum gentes plúrimas Ecclésiæ tuæ aggregásti : concéde propítius ; ut, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dñm.

Et fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Amándum Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum gentes plúrimas Ecclésiæ tuæ aggregásti : concéde propítius ; ut, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Deinde S. Valentini Presbyteri et Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

DIE 20 FEBRUARII

S. ELEUTHERII

EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Eleuthérii Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa : ut, cujus hódie natalítia cólimus, ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

Eleuthérius, Childérico regnánte, natus est Tornáci paréntibus christiánis Seréno et Blanda, qui cum céteris fidélibus inde exsuláre coácti propter fidem, ad vicínum Blandínium transmigrárunt, témpore quo Clodovéus, Childérici fílius, bellum contra Syágrium et Romános christiános apparábat. Haud multo post, debelláto Syágrio, cum per Clotíldem Clodovéi nondum christiáni cónjugem, concéssa fuísset libértas reparandárum ecclesiárum, simúlque religiónem christiánam exercéndi, Blandínii constrúcta est ecclésia.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Mórtuo Theodóro epíscopo, in ejus locum suffféctus est Eleuthérius, sicut ei púero sanctus Medárdus et ipse puer prædixísse fertur. Qui, dum verbo et exémplo sicut bonus pastor gregem suum régeret ac custodíret, ejúsdem amplificándi grátiam consecútus est singulárem. Postquam enim fíliam tribúni, qui Tornáco præerat et locis circumquáque ad Scaldim flúvium, suscitásset a mórtuis, urbémque a peste liberásset, tribúnum ipsum cum família civiúmque ingénti multitúdine ad Christum convértit. Décimo ordinatiónis suæ anno, Tornácum e Blandínio migrans, una hebdómada úndecim hóminum míllia baptizávit, ob idque Tornáci apóstolus nuncupári méruit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Sed qui in amplificándo grege felíciter incúbuit, in eo adunándo totum se dedit. Nam, cum per Ariánam hæresim scinderétur, Eleuthérius Romam proféctus Sýmmacho Papæ óbtulit fídei suæ libéllum, juxta quem revérsus constánter dócuit, lapsósque ad unitátem revocávit. Iterum Romam ádiit sub Hormísda Papa, occasióne Acephalórum, advérsus quos collégit sýnodum episcopórum. Cum autem egrederétur de ecclésia beátæ Maríæ, ab hæréticis gráviter in cápite vulnerátus et jam morti próximus, fídei cathólicæ professiónem dictávit, quam Audoéno discípulo dedit ad Bonifácium Papam mitténdam. Cæcum illuminávit, curávit infírmos, et pro inimícis orávit. Tandem, pane cælésti reféctus, óbiit anno Christi quingentésimo trigésimo primo, pontificátus autem quadragésimo quinto. Sepúltus est a sancto Medárdo Blandínii, in basílica Príncipis Apostolórum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre profíciscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 9 in Evang.

Sciéndum est quod nullus piger ab hac talénti acceptióne secúrus est. Nullus namque est, qui veráciter dicat : Taléntum mínime accépi, non est unde ratiónem pónere cogar. Talénti enim nómine, cuílibet páuperi étiam hoc ipsum reputábitur, quod vel mínimum accépit. Alius namque accépit intelligéntiam : prædicatiónis ministérium debet ex talénto. Alius terrénam substántiam accépit : erogatiónem talénti debet ex rebus. Alius dídicit artem qua páscitur : ipsa ars ei in talénti acceptióne reputátur. Alius familiaritátis locum apud dívitem méruit : taléntum profécto familiaritátis accépit. Si ergo nihil pro indigéntibus lóquitur, pro talénti retentióne damnátur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii

TANTUM quippe ab unoquóque nostrum ventúrus judex éxiget quantum dedit. Ut ergo de talénti sui ratiónibus, redeúnte Dómino, quisque secúrus sit, cum timóre penset quotídie quid accépit. Ecce namque jam juxta est ut ille, qui péregre proféctus est, rédeat. Quasi quippe péregre ábiit, qui scílicet de hac terra in qua natus est, longe discéssit. Sed profécto revértitur, ut de taléntis ratiónes ponat : quia, si a bona actióne torpéscimus, de ipsis donis quæ cóntulit, nos distríctius júdicat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a nuptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

PROPITIÁRE, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Eleuthérii Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa : ut, cujus hódie natalítia cólimus, ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Propitiáre, ut supra.

Et fit Com. Feriæ.

FESTUM MARTII

DIE 2 MARTII
BEATI CAROLI BONI
FLANDRIÆ COMITIS MARTYRIS

Duplex

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

OMNÍPOTENS et misericors Deus, qui beátum Cárolum príncipem, justítiæ tuéndæ zelo succénsum, glorióso martýrio illustráre voluísti : da nobis, ejus patrocínio et exémplo ; sic omnem implére justítiam, ut vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ.

In I Noct. Lect. Fratres : Debitóres, ut in Comm. plur. Mm., cum ℟℟. de Communi unius Mart.

In II Nocturno

Lectio iv

CÁROLUS cognoménto Bonus in Dánia natus est patre sancto Canúto rege et mártyre, matre vero Adéla regína, fília Robérti Frisónis, soróre Robérti Hierosolymitáni, Flándriæ cómitum. Vix biénnis, patre interfécto, Dániam relínquere et cum matre in Flándriam excédere coáctus est. Adolescéntiam egréssus, accépto crucis signo, Hierosólymam proféctus est, atque advérsus Christi hostes strénue ac fórtiter dimicávit. In Flándriam revérsus, Balduínum cómitem consíliis ac mónitis juvit, absentísque vices non semel egit. Margarítam, Raynáldi Claromontáni cómitis fíliam, uxórem duxit : quo matrimónio Ambianénsem comitátum acquisívit. Defúncto Balduíno, Cárolus Flándriæ comes eléctus est unánimi cleri populíque suffrágio, cui óptimi quique nobílium adhæsérunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit.

Lectio v

PRINCIPÁTU potítus vir Dei, quemádmodum sibi súbditis moderabátur império, ita præíre stúduit exémplo : pius in Deum, profúsus in páuperes, justítiæ tenax, domi prudens, in bello fortis, exímium Flándriæ decus ac præsídium fuit. Ecclesiástici órdinis observantíssimus, templa ac monastéria cum e fundaméntis exstrúxit, tum dote ac redítibus auxit. Tam præcláris virtútibus egrégia accéssit humílitas, quæ tunc máxime elúxit, cum, ad sacrum Románum impérium vocátus, tanti honóris fastígium summa ánimi moderatióne rénuit accípere, ac Hierosolymórum regnum pari modéstia recusávit. In summa annónæ caritáte, cum viri quidam præpoténtes rei frumentáriæ monopólium exercérent, odiósum fácinus Cárolus impedívit, nec suis parcens bonis, tum crebris largitiónibus, tum públicis edíctis ínopum necessitáti subvénit. Nefários hómines, incéndio ac cæde ómnia miscéntes, magna vi compéscuit legibúsque subjécit. Qui, cum justíssimas pœnas a beáto cómite sibi irrogándas metúerent, illáta ei nece prævértere constituérunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi

SORTEM patris sui sancti Canúti sibi imminére præséntiens Cárolus, se ad mortem pro justítia cum pietáte obeúndam fórtiter præparávit. Opinióne cítius sceleráta manus, die secúnda Mártii anni millésimi centésimi vigésimi séptimi, ipsi lethálem ictum infíxit in templo sancti Donatiáni oránti, et bráchium ad eleemósynas extendénti. Tanti flagítii rumor pátriam univérsam regionésque longínquas veheménter commóvit. Illico étiam beáti Príncipis cœpit devótio et concúrsus fidélium ad ejus relíquias colligéndas et veneratióne honorándas confluéntium, non sine miraculórum fama. Sacrum autem cultum ei a pópulis sine intermissióne ad nostra usque témpora exhíbitum Leo décimus tértius, Póntifex máximus, ex consúlto Sacræ Rítuum Congregatiónis, Apostólica auctoritáte confirmávit ; ínsuper ut ejus festum Offício ac Missa recolerétur indúlsit, atque beátum Cómitem tamquam secundárium Patrónum civitáti et diœcési Brugénsi assignávit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 9 in Matth. cap. 5

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam. Non dixit : Beáti qui a géntibus persecutiónem patiúntur, ne putes illum solum beátum, qui persecutiónem pátitur propter idóla non colénda. Ideo et qui ab hæréticis persecutiónem pátitur propter veritátem non relinquéndam, beátus est quia propter justítiam pátitur. Gentíles enim Christum dénegant, hærétici autem veritátem Christi. Qui autem veritátem Christi dénegat, ipsum dénegat Christum. Christus enim véritas est. Et ídeo hærétici, qui non propter Christum persecutiónem fáciunt, sed propter veritátem Christi, in prima fácie christiáni vidéntur, revéra autem gentíles sunt.

℟. Coróna áurea super caput ejus : * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii

NON solum hæréticus, sed et si áliquis ex poténtibus, qui vidéntur esse christiáni, fórsitan propter peccáta sua corréptus, factus fúerit tibi inimícus, et persecútus te fúerit, beátus es cum Joánne. Nam et Joánnes Baptísta neque propter gentilitátem, neque propter hǽresim interféctus est, sed quia corripiébat Heródem propter adultérium ejus. Sed et omnes prophétæ, neque a gentílibus régibus, sed a suis occísi sunt, non propter gentilitátem, sed quia corripiébant eórum peccáta. Si autem qui a suis ipsis propter causam Dei áliquid pátitur, non habet mercédem, nec prophétæ habuérunt. Si autem verum est quod prophétæ mártyres sunt, sine dúbio et qui propter causam Dei áliquid pátitur, etsi a suis pátitur, mercédem habet. Ideo non pósuit Scriptúra persónas persequéntium, sed solam causam persecutiónis, ut tu non aspícias quis te perséquitur, sed ut quid te persequátur.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui beátum Cárolum príncipem, justítiæ tuéndæ zelo succénsum, glorióso martýrio illustráre voluísti : da nobis, ejus patrocínio et exémplo ; sic omnem implére justítiam, ut vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Oratio Omnípotens, ut supra.

Et fit Com. Feriæ.

FESTA APRILIS

DIE 10 APRILIS

SANCTI MACARII

EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum (T. P. allelúja). ℟. Stolam glóriæ índuit eum (T. P. allelúja).

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum (T. P. allelúja).

Oratio C 1

DA, quǽsumus, omnípotens Deus : ut beáti Macárii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

MACÁRIUS, non ínfimo in Arménia génere natus, a primis pueritíæ annis tráditus est Macário senióri, archiepíscopo Antiochéno, lítteris et christiánis móribus imbuéndus : ut eódem uterétur præceptóre, quem ante dudum e sacro fonte susceptórem habúerat. Hoc vero vitæ magístro sic profécit, ut, cum idem hic Macárius sénior vitæ suæ términum haud procul abésse cognósceret, non álium nóverit aptiórem, quem ad geréndum post se episcopátum, Ecclésiæ commendáret, quam hunc suum spirituálem fílium discipulúmque Macárium. Quæ ádeo ómnibus senténtia plácuit ut, eo mórtuo, commúnibus suffrágiis ecclésiæ Antiochénæ præficerétur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei (T. P. allelúja). ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

VERUM cum functiónem hanc episcopálem multos annos laudabíliter administrásset, omnibúsque se pium pastórem et benígnum patrem præstitísset, non sine divíno instínctu offícii administratiónem, titulósque dignitátis omnes Eleuthério cuídam, doctrína et vitæ sanctimónia célebri, resignávit. Deínde facultátibus suis ómnibus paupéribus distribútis, quátuor cum discípulis pátria sua religiónis ergo egréssus, terram illam primum, in qua Servátor noster humáni géneris salútem perfécit, deínde ália divérsa loca sancta áliis in regiónibus magno labóre, nec minóri ánimi devotióne perlustrávit ; nusquam ínterim non sanctitátis vitæ et virtútis signa, novis semper miráculis éditis, relínquens.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei (T. P. allelúja). ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

POSTRÉMO per Germániam superiórem in Flándriam véniens, multis visis ecclésiis ac cœnóbiis, monastérium tandem divi Bavónis juxta Gandávum ingréditur, ibíque ab Erembóldo abbáte ac toto fratrum cœtu perbenígne excípitur. Cumque majóra in dies tum inter mónachos domi, tum in pópulo étiam civitátis Gandénsis, exímiæ virtútis suæ et mériti apud Deum documénta éderet, mirum quam gratus ómnibus brevi témpore et suscipiéndus evásit. Postquam autem annum plus minúsve íntegrum eo loco egísset, gravis Gandénsem in pópulum pestiléntia sæviébat : cum pius Macárius multum ardentérque pro pópulo orans, eódem étiam divína providéntia malo corrípitur, fore prædícens, ut post suum óbitum nemo prætérea hoc malo pestífero morerétur. Ita humánis rebus læto et constánti ánimo valedícens, ad Christum migrávit anno Virgínei partus millésimo duodécimo, quarto Idus Aprílis. Hujus sacrum corpus elevátum est post quinquagínta annos a duóbus epíscopis, Balduíno Tornacénsi et Lietbérto Cameracénsi. Aderant Philíppus Francórum rex, Balduínus Pius Flándriæ comes, et álii próceres multi. Porro hac occasióne bráchium sancti Macárii, pretiosíssimi cimélii instar, datum est ecclésiæ sancti Petri, quam paulo ante apud Insulas condíderat prædíctus Flándriæ comes. Hæc insígnis relíquia nunc asservátur in cathedráli basílica, quæ in locum dírutæ collegiátæ succéssit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum (T. P. allelúja). ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Vigiláte, de Communi Conf. Pont. 2º loco.

In Quadrag. ix Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas (T. P. allelúja). ℟. Et osténdit illi regnum Dei (T. P. allelúja).

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus (T. P. allelúja).

Oratio C 1

Da, quǽsumus, omnípotens Deus : ut beáti Macárii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ in Quadrag.

IN II VESPERIS

Fit a Capit. de seq. Festo S. Leonis, ut in Brev., Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum (T. P. allelúja).

℣. Justum dedúxit et Oratio Da, quǽsumus, ut supra 20

Deinde Com. Feriæ in Quadrag.

DIE 16 APRILIS

S. MARIÆ BERNARDÆ SOUBIROUS

VIRGINIS

Duplex

IN I VESPERIS

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua (T. P. allelúja). ℟. Inténde, próspere procéde, et regna (T. P. allelúja).

Ad Magnif. Ant. Candor es lucis ætérnæ, * o María, et spéculum sine mácula, ostendísti mihi fáciem tuam : sónuit vox tua in áuribus meis (T. P. allelúja).

Oratio

HUMÍLIUM, Deus, protéctor et amátor, qui fámulam tuam Maríam Bernárdam Immaculátæ Vírginis Maríæ apparitióne et allóquio recreásti : præsta, quǽsumus ; ut, per símplices fídei sémitas, ad tuam in cælis visiónem perveníre mereámur. Per Dóminum.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

In Quadrag. Lectiones I Noct. De virgínibus, de Comm. 1º loco.

In II Nocturno

Lectio iv

BERNÁRDA Soubirous, vulgo Bernadette, in óppido Lourdes, Tarbiénsis diœcésis, honéstis christianísque paréntibus ortum duxit. A téneris annis pio stúdio catechésim et preces discébat eximiásque simplicitátis et innocéntiæ dotes exterióri spécie pandébat. Ineúnte anno millésimo octingentésimo quinquagésimo octávo, super specum Massabielle puéllulæ beáta Virgo María plúries se conspiciéndam óbtulit. Rosárium illam recitáre, pro peccatóribus oráre et pœniténtiam ágere hortáta est ; in ipso loco sacéllum éxstrui, solémnes fíeri supplicatiónes imperávit, fontémque sub rupe laténtem per Bernárdæ manum in plurimórum sanatiónem prodúxit; illi secréta tria commísit, quæ usque ad mortem fidéliter servávit. Demum ejus nomen percontánti, cujus tam frequénti visitatióne fruebátur, Virgo respóndit : Immaculáta Concéptio ego sum. Hinc ortus in specu Massabielle ille Deíparæ cultus Immaculátæ, eóque orbis fidéles et ecclesiárum antístites certátim convéniunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua (T. P. allelúja). ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

NIHIL tot tantísque prodígiis ingénua Bernárdæ mutáta est simplícitas : famam, laudes et plausus hóminum sédulo devitávit, paupertáti patérnæ obláta solátia recusávit, ac demum humános mélius declinatúra conspéctus, Soróribus de Caritáte et Instructióne christiána ut discípulam primum apud Lourdes, Nivérni mox ut sodálem se óbtulit ; ubi religiónis vota sub nómine Soróris Maríæ Bernárdæ nuncupávit. Sanctimoniális exémplar fidélis ab incœ́pto usque ad extrémum diem præ se tulit. Régulam, étiam ægrótans, numquam sibi relaxári postulásse tráditur. Siléntii custos, latére nescirique sollícita, ægre cum éxteris et ádvenis ex obediéntia colloquebátur, quam primum ab eis recessúra. Oratióni frequénter incúmbens, sanctíssimam Eucharístiam et domínicæ Passiónis mystéria assídue meditabátur ; Immaculátam Vírginem afféctu fiиáli prosecúta, ejus mandáti memor, in delíciis habébat oráre pro peccatóribus, nonnúllis mirabíliter ejus intercessióne ad fidem et vitam christiánam convérsis. Pro quibus et passiónes suas libénter offerébat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ (T. P. allelúja). ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Beáta enim Virgo cum illi dixísset : Felicitátem tibi non in terris promítto, sed in cælis ; diutúrnas, quámdiu vixit, infirmitátes est perpéssa. Quibus patientíssime, lætánter immo tolerátis, ad diem dedúcta suprémum, Nivérni inter Soróres, salutatiónis angélicæ última verba ingéminans, piam ánimam efflávit die décima sexta Aprílis, anno millésimo octingentésimo septuagésimo nono, ætátis trigésimo quinto. Ejus corpus in Sorórum minóre sacéllo sepúltum, semel et íterum absque corruptióne repértum, magna fidélium veneratióne cólitur ; miraculísque a Deo ejus intervéntu impetrátis, ipsíus sepúlcrum factum est gloriósum. Quibus rite probátis, Pius undécimus Póntifex máximus Maríam Bernárdam in Beatárum númerum rétulit anno universális Jubilǽi millésimo nongentésimo vigésimo quinto. Eámque novis fulgéntem signis, idem summus Póntifex, ipso die festo Immaculátæ Conceptiónis anni præ céteris sacri, labénte undevigésimo peráctæ redemptiónis sǽculo, et septuagésimo quinto anniversário Apparitiónum in Lourdes óppido, Sanctárum fastis adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne (T. P. allelúja). ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 13, 44-52

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 11 in Evangelia

RURSUS cæléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam invénit, quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit : quia, qui cæléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit, perfécte cognóverit ea, quæ in terrénis amáverat, libénter cuncta derelínquit ; in comparatióne ejus viléscunt ómnia, déserit hábita, congregáta dispérgit : inardéscit in cæléstibus ánimus, nihil in terrénis libet : defórme conspícitur, quidquid de terrénæ rei placébat spécie, quia sola pretiósæ margarítæ cláritas fulget in mente.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias (T. P. allelúja). ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et.

Lectio viii

RURSUS símile esse regnum cælórum sagénæ in mare missæ dícitur, ex omni génere píscium congregánti, quæ impléta ad littus, edúcitur, et in vasis boni pisces eligúntur, mali autem projiciúntur foras. Sancta Ecclésia sagénæ comparátur, quia et piscatóribus est commíssa, et per eam quisque ad ætérnum regnum a præséntis sæculi flúctibus tráhitur, ne in ætérnæ mortis profúndo mergátur. Quæ ex omni génere píscium cóngregat : quia ad peccatórum véniam sapiéntes et fátuos, líberos et servos, dívites et páuperes, fortes et infírmos vocat.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei(T. P. allelúja). ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

In Quadrag. ix Lectio de Homil. Feriæ ; alias

Lectio ix

QUÆ sagéna, scílicet Ecclésia, tunc universáliter replétur, cum in fine suo humáni géneris summa conclúditur. Quam edúcunt, et secus littus sedent : quia sicut mare sǽculum, ita sǽculi finem signíficat littus maris. In quo scílicet fine boni pisces in vasis eligúntur, mali autem projiciúntur foras : quia et elécti quique in tabernácula ætérna recipiúntur, et intérni regni luce pérdita, ad exterióres ténebras réprobi pertrahúntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis (T. P. allelúja). ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum(T. P. allelúja).

Ad Bened. Ant. Osténdit mihi María * thesáuros incomparábiles, quos mihi se datúram in cælis repromísit (T. P. allelúja).

Oratio

HUMÍLIUM, Deus, protéctor et amátor, qui fámulam tuam Maríam Bernárdam Immaculátæ Vírginis Maríæ apparitióne et allóquio recreásti : præsta, quǽsumus ; ut, per símplices fídei sémitas, ad tuam in cælis visiónem perveníre mereámur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Grátias tibi ago, * Virgo Immaculáta Dei Mater, quia per ancíllam tuam, pópulo tuo verba salútis et pacis pígnora attulísti (T. P. allelúja).

Et fit Commemoratio sequentis.

FESTA MAJI

DIE 4 MAJI

SANCTI GODEHARDI

EP. ET CONF.

Duplex

In II Vesp. præced. Festi Inventionis S. Crucis fit Com. seq. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio C 2

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Godehárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis.(Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Mónicæ Viduæ (Duplex) :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

Deus, mæréntium consolátor, et in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrimas in conversióne fílii sui Augustíni misericórditer suscepísti : da nobis utriúsque interventu ; peccáta nostra deploráre, et grátiæ tuæ indulgéntiam inveníre. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

Godehárdus, honéstis christianísque paréntibus juxta monastérium Altahénse in diœcési Passaviénsi natus, e prædícti cœnóbii scholis sacrárum litterárum disciplínam hausit. Mónachus ibídem effectus sacrísque initiátus, ádeo virtútibus enítuit ut illi sub se curam ovílis mox abbas commítteret. Erat enim, ut prisca monuménta loquúntur, caritáte férvidus, in labóre strénuus, in oratióne devótus, meditatióne profúndus, contemplatióne suspénsus, córpore honéstus, corde mundus, sibi rígidus, deféctibus aliórum compátiens, humilitáte præcípuus, in paupertáte lætus et in vera nítidus castitáte.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Quamquam diu munus declinásset, Altahénsis Abbas ómnium consénsu et plausu renuntiátus, districtiórem reguláris vitæ trámitem cum súbditis sibi frátribus íngredi curávit, atque in tali stúdio per annos octo strénue et indesinénter semet exércuit. Hinc vária monastéria Godehárdo commíssa quæ ad sancti institúti perféctam observatiónem revocávit. Tandem, intervéntu et ópera sancti Henríci, Hildesheiménsis ecclésiæ epíscopus constitúitur, ubi tamquam lucérna super candelábrum effúlsit, miraculórum dono étiam insignítus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Exácto vitæ currículo, in vigília Ascensiónis Dómini, uti prædíxerat, hora matutinális offícii, dum chorus cáneret : Ascéndo ad Patrem meum, vir sanctíssimus ad cælos migrávit, anno Christi millésimo trigésimo octávo. Quem in ecclésia sua sepúltum et signis fulgéntem novis Innocéntius secúndus in concílio Rheménsi Sanctórum fastis adscrípsit. Apud Flandros valde célebris est sancti Godehárdi memória, ad quos dum júnior honóres declináret confugísse dícitur, eísque verbum Evangélii prædicásse. Quinímmo quod Arnékæ præsídio sacerdótis destitútæ aliquámdiu christiáni gregis curam égerit loci fert tradítio vetustíssima, ubi quotídie et præcípue ineúnte Majo pie peregrinántium ingens fit concúrsus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

GODEHÁRDUS, juxta monastérium Altahénse in diœcési Passaviénsi natus, e prædícti cœnóbii scholis sacrárum litterárum disciplínam hausit. Mónachus ibídem efféctus sacrísque initiátus, exímiis virtútibus enítuit. Erat enim caritáte férvidus, in labóre strénuus, in oratióne devótus, meditatióne profúndus, contemplatióne suspénsus, córpore honéstus, corde mundus, sibi rígidus, deféctibus aliórum compátiens, humilitáte præcípuus, in paupertáte lætus et in vera nítidus castitáte. Abbas renuntiátus, districtiórem reguláris vitæ trámitem cum súbditis sibi frátribus íngredi curávit. Póstea, Hildesheiménsis ecclésiæ epíscopus constitúitur. Exácto vitæ currículo, in vigília Ascensiónis Dómini, uti prædíxerat, ad cælos migrávit, anno Christi millésimo trigésimo octávo. Apud Flandros valde célebris est sancti Godehárdi memória, ad quos dum júnior honóres declináret confugísse dícitur, eísque verbum Evangélii prædicásse. Quinímmo quod Arnékæ aliquámdiu christiáni gregis curam égerit loci fert tradítio vetustíssima, ubi quotídie et præcípue ineúnte Majo pie peregrinántium ingens fit concúrsus.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigiláte, de Communi Conf. Pont. 2º loco.

Feria II Rogat. et in Vigilia Ascens. ix Lectio de Homilia Feriæ, et fit ejus Com. ad Laudes post Com. S. Monicæ; alias

Pro S. Monica Vidua :

Lectio ix

MÓNICA, sancti Augustíni piíssima mater, uxórum et viduárum exémplar, fílium Manichǽum secúta, postquam assíduis oratiónibus, lácrimis et jejúniis, ope Ambrósii Mediolanénsis epíscopi, eum Christo lucrifécit, cum ipso in Africam rédiens, ad Ostia Tiberína in febrim íncidit, et nono die placidíssime óbiit. De cujus morte mærens fílius dísserens subdit: Neque enim decére arbitrabámur funus illud quéstubus lacrimósis gemitibúsque celebráre, quia illa nec mísere, nec omníno moriebátur : hoc et documéntis morum ejus, et fide non ficta rationibúsque certis tenebámus. Atque inde paulátim reducébam in prístinum sensum ancíllam tuam, conversationémque ejus piam in te et sanctam, in nos blandam atque morígeram, qua súbito destitútus sum ; et líbuit flere de illa et pro illa. Et, si quis peccátum invénerit flevísse me matrem óculis meis mórtuam, quæ me multos annos fléverat ut óculis suis víverem, non irrídeat ; sed pótius, si est grandi caritáte, pro peccátis meis fleat ipse ad te, Patrem ómnium fratrum Christi tui. Ejus corpus, in ecclésia sanctæ Aureæ prius sepúltum, póstea Martíno quinto summo Pontífice, Romam translátum, in ecclésia sancti Augustíni honorífice cónditum est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

C 2

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Godehárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. S. Monicæ :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Deus, mæréntium consolátor et in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrimas in conversióne fílii sui Augustíni misericórditer suscepísti : da nobis utriúsque interv éntu ; peccáta nostra deploráre, et grátiæ tuæ indulgéntiam inveníre. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Com. præced., S. Pii V ac S. Monicæ.

DIE 5 MAJI

SANCTI MAURONTI

ABBATIS

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

Oratio

Deus, cujus múnere beátus Mauróntus Abbas, Christum páuperem sequi, et húmilem corde usque in finem imitári perseverávit : da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis ; ut nec retro respíciant, nec in via hǽreant, sed ad te sine offensióne curréntes, vitam ætérnam apprehéndant. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Godehárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis.

Deinde Com. S. Pii V Papæ et Conf. (Duplex) :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi, allelúja. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátum Pium Pontíficem máximum elígere dignátus es : fac nos ipsíus deféndi præsídiis, et ita tuis inhærére obséquiis ; ut, ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur.

Postea Com. S. Monicæ :

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio Deus, mæréntium, ut supra 30

In II Nocturno

Lectio iv

Beátus Mauróntus Adalbáldo Francígena et Rictrúde, paréntibus virtúte æque et génere præclaríssimis, éditus est. Sancti Richárii, egrégii sacerdótis Christi, in baptísmate fílius éxstitit spirituális. Vir factus, ut ejus poscébat nobílitas, regáli adhærens láteri, rebus úndique bene gestis, inter optimátes eminébat. Intérea vero sponsália contráxit, mox sancto Amándo suggerénte solúta ; factúsque ab eo cléricus, et póstmodum levíta, eídem nómini et offício conversatiónem suam curávit aptári.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :* Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v

In suo, qui Bróilus dícitur, território secus Lísiam, monastérium exstrúxit, ubi póstea sanctum præsulem Amátum, Senonénsem antístitem, Theodórici regis tyránnide exsulántem non solum fovit, sed et congregatióni monachórum illic Deo serviéntium præésse vóluit : eumdémque defúnctum illic honorífice tumulávit, ac prædiórum suórum per chartárum instruménta fecit herédem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Ipse dénique venerábilis Maurόntus, annis fere duódecim post óbitum sancti Amáti, supra fratres abbátis curam gessit vigilantíssimi. Cum autem, anno septingentésimo primo, Marchianénse monastérium visitáret, ibi præséntem vitam in meliórem commutávit tértio Nonas Maji, et in ejúsdem monastérii crypta sepultúram accépit juxta púteum qui sancti Mauróntí dícitur, ex cujus aqua qui bibérunt sanáti legúntur. Inde vero Duácum translátus fuit, ubi pars reliquiárum adhuc servátur, et tamquam tuteláris patrónus cólitur sanctus Maurόntus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

Beátus Maurόntus, Adalbáldo Francígena et Rictrúde, paréntibus virtúte æque et génere præclaríssimis, éditus est. Vir factus, regáli adhærens láteri, inter optimátes eminébat. Intérea vero sponsália contráxit, mox sancto Amándo suggerénte solúta ; factúsque est ab eo cléricus. In suo, qui Bróilus dícitur, território secus Lísiam, monastérium exstrúxit, ubi sanctum præsulem Amátum, Senonénsem antístitem, Theodórici regis tyránnide exsulántem mónachis præésse vóluit : eumdémque defúnctum illic honorífice tumulávit, ac prædiórum suórum per chartárum instruménta fecit herédem. Ipse dénique Mauróntus abbátis curam gessit vigilantíssimi. Cum autem Marchianénse monastérium visitáret, ibi præséntem vitam in meliórem commutávit tértio Nonas Maji, et in ejúsdem monastérii crypta sepultúram accépit. Inde vero Duácum translátus fuit, ubi pars reliquiárum adhuc servátur, et tamquam tuteláris patrónus cólitur sanctus Mauróntus.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

In Ps. 128 sermo 8 post init.

Ecce nos ómnia relíquimus, et secúti sumus te. Hoc est, non quæsívimus quæ sǽculi sunt, non quæsívimus partem de possessiónibus, sed te elégimus portiónem. Reliquísti ergo ante ómnia, Petre, quæ habébas ; unde habes quod habére te dicis ? Surgit claudus, et sono tui sermónis erígitur : sanitátem áliis donas, qui indigébas ipse tuæ salútis auxílio. Reliquísti ergo quæ habébas, et cepísti quæ non habébas. Christus tibi pórtio, Christus tibi posséssio est. Illíus nomen tibi munífícum, illíus nomen tibi est fructuósum, illíus nomen tibi tribúta dependit, et bona tribúta non pecúniæ, sed grátiæ.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Quicúmque relíquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut fratres, aut sorores, céntuplum accípiet in hoc sǽculo, et vitam ætérnam possidébit. Multos quidem in hoc sǽculo, qui sua paupéribus donavérunt, uberióre thesáuro locupletátos fuísse cognóvimus. Est pulchérrimus locus, ut étiam ad misericórdiam provocéntur. Sed non debent a Dómino sæculárem hujúsmodi exígere mercédem, nec speráre quæ mundi sunt : sed magis, quia iis qui ómnia relíquerint, Deus pórtio est. Ipse est útique merces perfécta virtútum, qui non céntupli enumeratióne, sed perféctæ plenitúdinis æstimatióne censétur. Ego, inquit, Deus tuus sum. Non dixit : Ero, sed : Jam sum, jam inhábito, jam possídeo.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis ix Lectio de Homilia Feriæ ; alias

Pro S. Pio V Papa et Conf. :

Lectio ix

Pius, Boschi in Insúbria natus, cum quatuórdecim esset annórum, órdinem Prædicatórum ingréssus est. Sacerdótio auctus, sacras conciónes plúribus in locis cum ingénti animárum fructu hábuit. Inquisitóris offícium diu fórtiter ac laudabíliter sustínuit, et a Paulo quarto ad Nepesínum et Sutrínum episcopátum promótus, post biénnium inter patres cardináles adscríptus est. A Pio quarto translátus ad ecclésiam Montis Regális in Subalpínis, diœcésim vísitans, abúsus représsit, et Romam revérsus, in gravíssimis negótiis expediéndis fuit occupátus. Mórtuo autem Pio, præter ómnium exspectatiónem eléctus Póntifex, nihil in vitæ ratióne, excépto exterióri hábitu, immutávit. Selímum Turcárum tyránnum, ingénti comparáta classe, ad Echínadas ínsulas, non tam armis, quam fusis précibus devícit. Dum vero novam in ipsos Turcas expeditiónem paráret, piíssime óbiit in Dómino, anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, ætátis suæ sexagésimo octávo. Corpus ejus in basílica sanctæ Maríæ majóris summa fidélium veneratióne cólitur. Eum Clemens Papa undécimus catálogo Sanctórum adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Sicubi vero dicenda non sit ix Lectio alicujus Officii commemorati, erit sequens

Lectio ix

HABES, homo, inter multa propósita, étiam hujúsmodo portiónem. Propósuit tibi Dóminus in portióne possessiónes, in portióne aurum, in portióne argéntum, in portióne honóres, in portióne nobilitátem, propósuit étiam in portióne seípsum ; habes ígitur plúrimas portiónes, élige quam putas : non te númerus pertúrbet, sed éxcitet grátia ; non te labor avértat, sed fructus invítet.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

DEUS, cujus múnere beátus Mauróntus Abbas, Christum páuperem sequi, et húmilem corde usque in finem imitári perseverávit : da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis ; ut nec retro respíciant, nec in via hæreant, sed ad te sine offensióne curréntes, vitam ætérnam apprehéndant. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. S. Pii V :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátum Pium Pontíficem máximum elígere dignátus es : fac nos ipsíus deféndi præsídiis, et ita tuis inhærére obséquiis ; ut, ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur. (Per Dóminum.)

Deinde Feriæ in Feria II Rogat. et in Vigilia Ascens.

Vesperæ seq. Festi S. Joannis, Com. præced. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Deus, cujus múnere beátus Mauróntus Abbas, Christum páuperem sequi, et húmilem corde usque in finem imitári perseverávit : da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis ; ut nec retro respíciant, nec in via hæreant, sed ad te sine offensióne curréntes, vitam ætérnam apprehéndant. (Per eúmdem.)

Deinde Com. S. Pii V :

Ant. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio Deus, qui, ut supra.

* * *

DIE 30 MAJI

S. JOANNÆ DE ARC

VIRGINIS
PATRONÆ SECUNDARIÆ TOTIUS GALLIÆ

Duplex II classis

Omnia de Comm. Virginum, præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Pss. ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut

posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta loricam justítiæ assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúja.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

STAT cultrix vígilans páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et ínnocens.

Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,
Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.

Dum voces súperas éxcipit, éxpavet;
Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.

Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem jussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.

Qui terras státuit, glória sit Patri:
Qui gentes rédimit, glória Fílio:
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Hæc est Joánna, * Virgo Aurelianénsis: hæc est, quæ multum orat pro pópulo, et pro univérsa Gallórum gente, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et non fit Com. præcedentis nec Simplicis.

Complet. de Dom.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum,* Veníte, adorémus, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Aureliáni túrribus
Frustra premúntur hóstium :
Intrat Joánna : mílites
Hymnos precésque cóncinunt.

Quam vellet hosti párcere !
Hunc voce amíca præmonet,
Sponte ut recédens, líberum
Regnum relínquat Gálliæ.

Negat, sed agmen Gállicum
Ruit : Joánna sánguinem
Profúndit, icta vúlnere,
Deúsque dat victóriam.

Urbes et agros óccupat ;
Rursus nitéscunt Lília ;
Turmæ fugántur hóstium ;
Rhemos patéscit sémita.

O sancta et una Trínitas,
Firmans movénsque péctora,
Contra malum certántibus
Dona vigórem et prǽmium. Amen.

In I Nocturno

Ant. Eleváta est * magnificéntia Joánnæ super cælos, allelúja.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-17

Confitébor tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ, allelúja, allelúja. ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adjutórium vobis. Et.

Lectio ii

LAUDÁBIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, allelúja, allelúja. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Fuíque.

Lectio iii

EXALTÁSTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum, allelúja, allelúja. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. Propter veritátem, * et mansuetúdinem, et justítiam dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus, allelúja. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúja.

Lectio iv

JOÁNNA de Arc, in óppido Domreménsi, olim diœcésis Tullénsis, nunc Sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus orta est, anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quinque annos Míchaël Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt quómodo rem jussam perágeret, Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit, ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum, allelúja, allelúja. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. Ut.

Lectio v

SUPÉRNIS mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, post ália béllica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo, quæ fíeri necésse esset, suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo, allelúja, allelúja. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. Et.

Lectio vi

CAPTA Joánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rothómagum mox ducta, cum ibi in jus rapta esset, quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia ; sed ómnia pro Jesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos júdices causa, ínnocens et mitis Virgo damnáta est pœna combustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam támdiu desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Jesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima Maji, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Romána Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sǽpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Callísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sǽculo undevigésimo, Leo décimus tértius, Aurelianénsis puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Joánnam de Arc summus Póntifex Pius décimus in beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in sanctárum Vírginum númerum rétulit. Pius tandem undécimus, Francórum votis præsulum ánnuens, post beátam Maríam in cælos assúmptam, Gálliæ patrónam illam secúndam declarávit et constítuit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam, allelúja, allelúja. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. Si. Glória Patri. Si.

In III Nocturno

Ant. Conféssio * et pulchritúdo in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus, allelúja.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus, allelúja. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Cap. 16, 17

O BEÁTUM damnum et jactúra felix! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ, si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sǽculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est ?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus : * Fac, Dómine, ut máneat Nomen sanctum tuum in terra nostra, allelúja, allelúja. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo Hóstia et Sacrifícium. Fac.

Lectio viii

QUÆ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur ? Cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis, ut merebúntur. Quid offerémus ad vitam ? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum, famǽque títulos, aut véteres delegátæ nobilitátis imágines ? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus : et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium, terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso, allelúja, allelúja. ℣. Quia minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis ix Lectio de Homilia Feriæ; alias

Pro S. Felice Papa et Mart. :

Lectio ix

FELIX Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre præfuit Ecclésiæ. Constítuit ut Missa supra memórias et sepúlcra Mártyrum celebrarétur. Qui, cum mense Decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset presbýteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca quinque, martýrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica quam a se ædificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

Te Deum laudámus.

Si autem ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, erit sequens

Lectio ix

GRAVE onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut cum sensum vitæ hómines ex vivéndi afféctu habére cœpíssent, fructum ejus, qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent ; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent : cum sensus hujus exórdium ex afféctu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut contra vim sensúmque judícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ æternitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait : Quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Pss. de Dom. 1º loco.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúja.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tǽdii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

HÓSTIUM victrix, properánte cursu,
Cárolum ad sanctam comitáris ædem,
Ut triumphántem sacra rite signet
Unctio regem.
Gáudio fundens lácrimas, Joánna,
Príncipi plaudis : Dómino repéndis
Débitas grates, retinésque dextra
Nóbile signum.
Erigens longa pópulum ruína,

Mira fecísti, generósa Virgo :
Jure te nostræ pátriæ paréntem
Sæcla vocábunt !

Sed manet major meliórque merces :
Te novus poscit labor et triúmphus :
Te Deus mittens, dabit ipse vires
Atque corónam.

Qui dedit presso pópulo salútem,
Laude ter sanctum Dóminum colámus,
Semper ut tantæ méritis patrónæ
Gállia vivat. Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúja.

Ad Bened. Ant. Stans beáta Joánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, dicens : Dómine Jesu, áccipe spíritum meum ; ne státuas illis hoc peccátum, allelúja.

Oratio

DEUS, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et post Com. Feriæ in Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, fit Com. S. Felicis I Papæ et Mart. :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Horas Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Ecce Joánna.

AD TERTIAM

Ant. Suscitávit.

Capit. Propósui, ut supra 44

℟. br. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, * Allelúja, allelúja. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Méritis.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus, allelúja. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

AD SEXTAM

Ant. Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

Capit. Sap. 8, 12

Tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus suscéptor meus, * Allelúja, allelúja. Factus. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Factus.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus, allelúja. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúja.

AD NONAM

Ant. Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capit. Sap. 8, 13

Habébo, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, super caput ejus, * Allelúja, allelúja. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúja.

IN II VESPERIS

Ant. et Capit. de Laudibus 44, Pss. ut in Communi Fest. B. Mariæ Virg.

Hymnus

SALVE, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ!
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.

Voces supérnas áudiens,
Jesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque júdices.

Oppréssa flammis, clámitas
Jesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádjuva:
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Sit laus Patri, sit Fílio:
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Joánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis, allelúja.

Oratio Deus, ut supra 46

Et fit Com. seq. Festi B. Mariæ Virg. Omnium Gratiarum Mediatricis, ac S. Angelæ Mericiæ Virg., ut infra.

Complet. de Dominica.

DIE 31 MAJI

BEATÆ MARIÆ VIRG. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS

Duplex majus

Omnia de Communi Fest. B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

Pro Com. B. Mariæ Virg. in II Vesp. S. Joannæ:

Ant. Ecce Dóminus meus ómnia mihi trádidit, nec quidquam est, quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi, allelúja.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut, quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : (Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.)

Deinde fit Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. (Duplex) :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

DEUS, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere ; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére vóluit per Maríam, * Veníte, adorémus, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

CHRISTUS, humáni géneris misértus,
Morte nos ictos mérita, supérnam
Rursus ad vitam génuit, suóque
Sánguine tersit.

O pium flumen, scelus omne purgans !
O inexháustum pélagus bonórum,
Unde septéno fluit usque fonte,
Vita salúsque !

Hos tamen sacros látices redémptis
Quis ministrábit ? Datur hoc Maríæ
Munus, ut divæ moderétur undæ,
Arbitra, cursum.

Cuncta, quæ nobis méruit Redémptor,
Dona partítur Génitrix María,
Cujus ad votum sua fundit ultro
Múnera Natus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Fons hortórum, * púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano, allelúja.

℣. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, allelúja. ℟. Sancta Dei Génitrix, allelúja.

De libro Ecclesiástici

Cap. 24, 5-11

Lectio i

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti : et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui : et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. In Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea : * Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea, allelúja, allelúja. ℣. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Et radicávi.

Lectio ii Ibid., 22-31

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléinini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me adhuc esúrient : et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur : et qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et justítia : * Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto, allelúja, allelúja. ℣. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Mélior est enim.

Lectio iii Ibid., 41-46

Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso. Dixi : Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare : quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis : * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléimini, allelúja, allelúja. ℣. Spíritus enim meus super mel ducis, et heréditas mea super mel et favum. Transíte ad me. Glória Patri. Transíte ad me.

In II Nocturno

Ant. Hábuit grátiam * et misericórdiam coram Rege super omnes mulíeres, allelúja.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias, allelúja. ℟. In necessitátibus nostris, allelúja.

Orátio sancti Ephræm Syri Diáconi ad Deíparam

Lectio iv

DÓMINA mea, sanctíssima Dei Génitrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnerum, bonórum ómnium erogátio, ómnium post Trinitátem Dómina, post Paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediátrix totíus mundi, vide meam fidem meúmque desidérium divínitus datum. Ne despícias indígnum, neque meárum actiónum fœditátes tuam imménsam misericórdiam interrúmpant, Dei Génitrix, meum desiderabilíssimum nomen; nihil enim est fírmius trophǽum quam tuum auxílium. Tu enim abstulísti omnes lácrimas a fácie terræ; tu creatúram replésti omni génere benefícii, cæléstibus lætítiam attulísti, terréstria salvásti. Per te resurrectiónis nostræ tésseram certíssimam tenémus; per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus; per te omnis glória, honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiónem sǽculi Apóstolis, Prophétis, justis et humílibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur; atque in te gaudet, grátia plena, omnis creatúra.

℟. Ecce Dóminus meus ómnia mihi trádidit, * Nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi, allelúja, allelúja. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Nec.

Sermo sancti Germáni Epíscopi Constantinopolitáni

Oratio 9 post medium

Lectio v

Nos qui divinórum óperum morúmque páuperes sumus, dum per te, o María, nobis exhíbitas benignitátis divítias cérnimus, propénse dicámus: Misericórdia Dómini plena est terra. Nos in multitúdine peccatórum a Deo extórres, per te Deum quæsívimus et invénimus, inventóque salvi facti sumus. Igitur potens ad salútem præstándam auxílium tuum, o Dei Génitrix, ac ejúsmodi, ut nullum álium mediatórem necessárium hábeat ad Deum. Plane enim nullus tuæ magnificéntiæ finis ; insatiábilis opitulátio tua. Nullus múnerum tuórum númerus est. Nullus enim, nisi per te, o sanctíssima, salútem conséquitur. Nullus, nisi per te, o immaculatíssima, qui a malis liberétur. Nullus, nisi per te, o castíssima, cui donum indulgeátur. Nullus, nisi per te, o honoratíssima, cui grátiæ munus misericórdia præstétur. Quam ob rem, quis te beátam non prædicábit ? Te, inquam, gloriósam, te beatificándam, quæ ab ipso Fílio tuo ac Deo magnália nacta sis, uti magna et admiránda : quam ob rem te laudant omnes generatiónes.

℟. Præpósita ómnibus, gubérnat créditam sibi domum et univérsa, quæ ei sunt trádita. * Absque ejus império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúja, allelúja. ℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Absque.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

In Nativ. B. M. V., n. 6

Lectio vi

INTUÉRE, o homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cæléstí rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit : redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Ut quid hoc ? Forte ut excusarétur Heva per fíliam, et queréla viri advérsus féminam deínceps sopirétur. Ne díxeris ultra, o Adam : Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vétito ; dic pótius : Múlier quam dedísti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíssimum sane consílium ; sed latet fórsitan áliud, nec totum hoc est. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María : ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus, et votis ómnibus Maríam hanc venerémur: quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se: * Et in me, ancílla sua, adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël, allelúja, allelúja. ℣. Deus exaltávit me, ut salvos fáceret multos pópulos. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. Si invéni grátiam * in óculis tuis, o Rex, dona mihi pópulum meum pro quo óbsecro, allelúja.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper, allelúja. ℟. Virgo gloriósa et benedícta, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bernardíni Senénsis

Quadrag. de christiana Religione, Sermo 51 de Pass. Dom., part. 2, art. 1, cap. 3

Pulsántur admiratióne ómnium legéntium sive audiéntium mentes, scílicet quo motu, quo sensu, qua possibilitáte, qua vera auctoritáte, ista dicúntur, quod discípulus tránseat in fílium Vírginis, et Virgo hábeat purum hóminem fílium, quem non génuit; sic nec quod sit fílius ex Vírgine, qui de corrúptis paréntibus natus erat ex sémine. Impossibília quidem vidéntur hæc, sed nihil impossíbile apud Deum. Pietáte quidem et oratióne opus est ad ingrediéndum tale mystérium. Múlier enim beáta Virgo vocátur a Christo quam numquam appellávit ex vócibus matrem. Múlier, et non múlier: sed super ángelos et hómines, et mulíeres superexcédens múlier. Accépit a Fílio, quem cum ætérno Patre únicum possidébat, fílium præter ventrem, quem ante in carne habébat ipsa nepótem.

℟. Facta est María refúgium páuperi, * Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne, allelúja, allelúja. ℣. Virgo potens sicut turris David : mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Adjútrix.

Lectio viii

Sed in quo filiatiónis génere Joánnes Vírginis factus est fílius, aut ejus mater facta est Virgo ? Non hoc natúra favet, non concéptus, non partus exséquitur, non ingréssus in úterum ut dénuo nascerétur, non adóptio pro hereditáte in temporálibus consequénda, nec ex imitatióne, aut ex prooláta doctrína. Nec ista disserénda erant verbo Christi : nec facta est locútio ut sit quasi, sed sic a Christo légimus dictum : Múlier, ecce fílius tuus, ut, exclúsa omni superfluitáte verbórum, secrétum mystérii penetrémus. Mýstice ígitur intellígimus in Joánne omnes ánimas electórum, quorum per dilectiónem beáta Virgo facta est mater ; fílius enim in græco nomen amóris est. Omnis enim Christi amor in amórem Vírginis transit, ut mérito fílius, id est, amor Vírginis nuncupétur, magísque Vírginem hábeat matrem, quam illam, quæ illum ex peccáto damnátum mundo, suscépto sémine generávit.

℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno, allelúja, allelúja. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Ut. Glória Patri. Ut.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis ix Lectio de Homilia Feriæ ; alias

Pro S. Angela Mericia :

Lectio ix

Angela Merícia, piis orta paréntibus, a prima ætáte magna virtútum specímina dedit, cilício ac flagéllis frequénter usa, et oratióni indesinénter dédita. Patérnis bonis abdicátis, ac régulam tértii órdinis sancti Francísci ampléxa, evangélicam paupertátem virginitátis laudi conjúnxit, nullúmque pietátis offícium erga próximos omísit. Sacra Eucharístia frequentíssime refécta, tanta caritátis vi ferebátur in Deum, ut sæpius extra sensus raperétur. Bríxiæ novam vírginum societátem sub certa disciplína sanctísque vivéndi régulis constítuit, quam sanctæ Ursulæ patrocínio ac nómine insignívit. Tandem prope septuagenária evolávit in cælum, anno Dómini millésimo quingentésimo quadragésimo, sexto Kaléndas Februárii. Cultum illi jámdiu exhíbitum Clemens Papa décimus tértius solémni decréto ratum hábuit et confirmávit. Pius vero Papa séptimus sanctárum Vírginum catálogo eam adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Sicubi autem ix Lectio alicujus Officii commemorati non fuerit dicenda, erit sequens

Lectio ix

Mutátur hæc matérnitas et filiátio ex auctoritáte verbórum Christi in cruce pendéntis. Proptérea natúra transit in grátiam, et grátia nobílitat profécto natúram; non quod una in álteram commutétur, sed quia natúra ex grátia perfícitur. Mala múlier Heva corruptióne natúræ ; bona múlier María, mater grátiæ, mater misericórdiæ. Datur mater grátiæ pro matre natúræ ; manet tamen mater natúra, manet étiam mater ex grátia. Erat enim Joánni mater María Salóme in órdine succedéntis natúræ ; est étiam sibi mater beáta Virgo in órdine grátiæ. Est mater Heva cunctórum per trádúcem natúræ ; est et Virgo María mater ómnium amántium Christum per infusiónem invisíbilis grátiæ.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Benedictiónem* ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

Pss. de Dominica 1º loco.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúja.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, allelúja.

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Capit. Is. 55, 1

OMNES sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus

MARÍA, quæ mortálium
Preces amánter éxcipis,
Rogámus ecce súpplices,
Nobis adésto pérpetim.

Adésto, si nos críminum
Caténa stringit hórrida ;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpis ílligant.

Succúrre, si nos sǽculi
Fallax imágo péllicit,
Ne mens salútis trámitem,
Oblíta cæli, déserat.

Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat;
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto fíliis
Tutéla mortis témpore,
Ut, te juvánte, cónsequi
Perénne detur prǽmium.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Bened. Ant. Absque tuo império * non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúja.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut, quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

Et fit Com. S. Angelæ Mericiæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere ; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis.

Deinde, post Com. Feriæ in Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, fit Com. S. Petronillæ Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Petronillæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur affèctu. Per Dóminum.

AD PRIMAM

Ant. Benedictiónem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

AD TERTIAM

Ant. In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúja.

Capit. Omnes sitiéntes, ut supra 56

℟. br. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, * Allelúja, allelúja. Sub tuum. ℣. Sancta Dei Génitrix. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Sub tuum.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias, allelúja. ℟. In necessitátibus nostris, allelúja.

AD SEXTAM

Ant. Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

Capit. Is. 55, 2-3

AUDÍTE audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra.

℟. br. Nostras deprecatiónes ne despícias, * Allelúja, allelúja. Nostras. ℣. In necessitátibus nostris. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Nostras.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper, allelúja. ℟. Virgo gloriósa et benedícta, allelúja.

AD NONAM

Ant. Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Capit. Is. 55, 5

ECCE gentem, quam nesciébas, vocábis : et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. br. A perículis cunctis líbera nos semper, * Allelúja, allelúja. A perículis. ℣. Virgo gloriósa et benedícta. Allelúja, allelúja. Glória Patri. A perículis.

℣. Eja ergo, Advocáta nostra, allelúja. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte, allelúja.

IN II VESPERIS

Ant. et Capit. de Laudibus 55

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Salus nostra * in manu tua est ; réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino, allelúja.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut, quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

Et fit Com. S. Angelæ Mericiæ :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

DEUS, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere ; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis.

FESTA JUNII

DIE 3 JUNII

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ, VIDUÆ

Duplex

Capit. Mulíerem et Hymnus de Comm. nec Virg. nec Mart.

℣. Timébunt reges terræ glóriam tuam, Dómine, allelúja. ℟. Et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Tu honorificéntia * pópuli nostri : quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, allelúja.

Oratio

RÉSPICE, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus natiónem : et, quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti ; eísdem, per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis affectum. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

CLOTÍLDIS, Chilpérici regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo Burgundiónum rege necátis, Clodovéo adhuc éthnico ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Cum autem infántis, cui nomen impósitum fúerat Ingoméres, in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovéus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit ; et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v

At regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhǽsit, donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Rhemos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus, fidem edóctus, baptizátus est et chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis : ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúja. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

CLODOMÉRIS in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodováldum, Guntárium et Clodoáldum apud se educávit. Tandem plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis suis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovéi, in sacrário basílicæ sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dictæ, ubi religióse colebátur. Exeúnte vero sǽculo décimo octávo, cum ímpii sumpsíssent principátum et bellum Deo sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ cum áliis relíquiis, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deíndeque, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur, allelúja. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

CLOTÍLDIS, Chilpérici regis fília, paréntibus necátis, Clodovéo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Quæ non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhǽsit, donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Rhemos læta uxor occúrrens, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus baptizátus est. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis, ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria. Tandem plena diérum, migrávit ad Dóminum, et Parísios transláta, sepúlta est in sacrário basílicæ sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dictæ. Exeúnte vero sǽculo décimo octávo, cum ímpii bellum Deo sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt et deposuérunt in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii.

Te Deum laudámus.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile est regnum, de Comm.

AD LAUDES

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília, allelúja. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam, allelúja.

Ad Bened. Ant. Cum invocásset * Clotíldis ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovéi regis, allelúja.

Oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus natiónem : et, quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti ; eísdem, per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

In II Vesp., a Capit. fit de seq. S. Francisco Caracciolo.

Com. S. Clotildis :

Ant. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit : sancta glorificávit, et multiplicávit vasa Sanctórum, allelúja.

℣. Anima mea Dómino vivet, allelúja. ℟. Et semen meum sérviet ipsi, allelúja.

Oratio Réspice, ut supra.

DIE 8 JUNII

SANCTI MEDARDI

EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui protectiónis tuæ grátiam quǽrimus ; intercedénte beáto Medárdo Confessóre tuo atque Pontífice, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Medárdus, natus apud Salencíacum, a piis paréntibus Nectárdo et Protágia Veromanduénsi epíscopo est oblátus, ut in clericórum númerum adscriberétur. Crescéntibus cum ætáte vitæ méritis et doctrína, ad altióres gradus ascéndit. Présbyter ordinátus, reveréntia et obediéntia erga majóres, caritáte et zelo erga próximos, benignitáte erga páuperes, patiéntia in advérsis et humilitáte cláruit. Veromanduórum episcopátum, diu relúctans, regéndum suscépit, ac sedem episcopálem Noviómi, óppido propugnáculis egrégie muníto, collocávit, eo quod Augústa Veromanduórum cívitas a Vándalis et Hunnis evérsa esset.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Céterum, quo témpore ecclésiam, fixa Noviómi sede, felíciter gubernáret, sanctum Eleuthérium Tornacénsem epíscopum ad cæléstia prǽmia vocári cóntigit. Post cujus exséquias, clerus et pópulus Medárdum sibi dari epíscopum postulárunt. Quorum votis cum annúerent beátus Remígius ceteríque comprovinciáles epíscopi, rege étiam et procéribus sua auctoritáte rem promovéntibus, tanto bonórum consénsu victus Novioménsis præsul, Tornacénsis ecclésiæ curam suscépit, sede tamen cathedráli in utráque civitáte serváta. Quæ duárum ecclesiárum conjúnctio per sexcéntos círciter annos, ad Simónem vidélicet usque, permánsit, ut idem esset Tornacénsium et Novioménsium epíscopus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Mox Flandros, gentem tunc ferócem, quíndecim annórum spátio, docéndo, orándo, instándo, mira operándo, erudívit et convértit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quadragésimo quinto. Defúncti corpus Clotárius rex suis húmeris sústulit, cum summo honóre apud Suessiónes sepelívit, et basílicam ad ejus túmulum fabricáre cœpit, quam póstea Sigebértus ejus fílius absólvit et ornávit. Ad sepúlcrum sancti Medárdi vinctórum cómpedes atque caténas dirúptas confractásque vidísse se testátur sanctus Gregórius Turonénsis, quæ in testimónium servabántur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

Medárdus natus apud Salencíacum, a piis paréntibus Veromanduénsi epíscopo est oblátus, ut in clericórum númerum adscriberétur. Crescéntibus méritis et doctrína, présbyter ordinátus, reveréntia et obediéntia erga majóres, caritáte et zelo erga próximos, benignitáte erga páuperes, patiéntia in advérsis et humilitáte cláruit. Veromanduórum episcopátum, diu relúctans, regéndum suscépit, ac sedem episcopálem Noviómi collocávit, eo quod Augústa Veromanduórum cívitas a Vándalis et Hunnis evérsa esset. Céterum, quo témpore ecclésiam felíciter gubernáret, sanctum Eleuthérium Tornacénsem epíscopum ad cæléstia præmia vocári cóntigit. Tunc clerus et pópulus Medárdum sibi dari epíscopum postulárunt. Quorum votis cum annúerent beátus Remígius ceteríque comprovinciáles epíscopi, Novioménsis præsul Tornacénsis ecclésiæ curam suscépit, sede tamen cathedráli in utráque civitáte serváta. Mox Flandros, gentem tunc ferócem, docéndo, orándo, instándo, mira operándo, erudívit et convértit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quadragésimo quinto, et apud Suessiónes sepúltus est.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 2 de vocatione Gent., cap. 2 post medium

Datur unicuíque sine mérito, unde tendat ad méritum : et datur ante ullum labórem, unde quisque mercédem accípiat secúndum suum labórem. Quod ita esse, evangélicæ veritátis testimónio agnóscitur, ubi per comparatiónem dícitur, quod homo péregre profíciscens vocávit servos suos, et trádidit illis substántiam suam. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, id est, secúndum própriam et naturálem possibilitátem, non autem secúndum próprium méritum. Quia áliud est posse operári, áliud operári ; et áliud est posse habére caritátem, áliud habére caritátem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii

Non ítaque omnis reparábilis reparátur, nec omnis sanábilis sanátus est : quia reparábilem et sanábilem esse, de natúra est : reparátum autem et sanátum esse, de grátia est. Dénique isti, quibus secúndum módulum capacitátis suæ, quem in eis distribútor substántiæ prævidébat, dispar créditus est númerus talentórum, non mériti remuneratiónem, sed óperis accepére matériam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix

IN qua duórum servórum vigilantíssima indústria non solum gloriósis láudibus honestátur, sed étiam in ætérna Dómini sui gáudia intráre præcípitur. Tértii vero pigrum ótium et desidiósa nequítia sic punítur, ut et vituperatiónis dedecorétur oppróbrio, et portióne, quam accéperat, exuátur. Dignus enim erat pérdere inútilem fidem, qui non exercúerat caritátem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

CONCÉDE, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui protectiónis tuæ grátiam quǽrimus ; intercedénte beáto Medárdo Confessóre tuo atque Pontífice, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

Oratio Concéde, ut supra.

Et fit Com. seq. Festi Ss. Primi et Feliciani Mm.:

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

Fac nos, quǽsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári : quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

DIE 14 JUNII

IN COMMEMORATIONE MIRACULORUM B. M. V.

TITULO

CANCELLATÆ

Duplex majus

Sed ad modum Simplicis recolendum ratione Octavæ Pentecostes

Ant. O beáta Virgo María : tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te, allelúja.

℣. Ave, María, grátia plena, allelúja. ℟. Dóminus tecum, allelúja.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis.

Et fit Com. S. Antonii de Padua Conf. et Eccl. Doct. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Antóni, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Justum, ut supra.

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui atque Doctóris solémnitas votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis.

Postea Com. S. Basilii :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Basilíi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

AD LAUDES

Ant. Beáta es, María, quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis.

Et fit Com. S. Basilii :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio Exáudi, ut supra.

IN II VESPERIS

Ant. O beáta Virgo María : tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te, allelúja.

℣. Ave, María, grátia plena, allelúja. ℟. Dóminus tecum, allelúja.

Oratio Deus, ut supra.

Deinde Com. S. Basilii:

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Básili, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Justum et Oratio Exáudi, ut supra.

INDEX

FEBRUARIUS

13 S. Amandi Ep. et Conf., *dupl.* 7
20 S. Eleutherii Ep. et Conf., *dupl.* 10

MARTIUS

2 B. Caroli Boni Mart., *dupl.*. 14

APRILIS

10 S. Macarii Ep. et Conf., *dupl.* 18
16 S. Mariæ Bernardæ Soubirous Virg., *dupl.* 21

MAJUS

4 S. Godehardi Ep. et Conf., *dupl.* 25
5 S. Mauronti Abb., *dupl.* 30
30 S. JOANNÆ DE ARC VIRG., *dupl. II cl.* 36
31 B. MARIÆ VIRG. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS, *dupl. maj.* 47

JUNIUS

3 S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *dupl.* 59
8 S. Medardi Ep. et Conf., *dupl.* 62
14 COMMEMORATIO MIRACULORUM B. MARIÆ VIRG. SUB TITULO CANCELLATÆ, *dupl. maj.* 67

Concordat cum originali.

Insulis, die IV Maji MCML.

P. LESTIENNE

Imprimatur.

Turonibus, die XXVIII Octobris MCML.
† LUDOVICUS-JOSEPHUS
ARCHIEPISC. TURON.

Imprimé en France.

1294-1950. — Turonibus, typis Mame.
DÉPÔT LÉGAL : 4e trimestre 1950.

OFFICIA PROPRIA ECCLESIÆ INSULENSIS

A SS. D. N. PIO X
APPROBATA
AC DE MANDATO
EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI
DD. ACHILLEI LIÉNART
TITULI SANCTI XYSTI S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
INSULENSIS EPISCOPI
EDITA

NOVA EDITIO

PARS ÆSTIVA

TURONIBUS
SUMPTIBUS ET TYPIS MAME
Sanctæ Sedis Apostolicæ et Sacræ Rituum Congregationis
Typographorum

KALENDARIUM PERPETUUM
IN USUM
DIŒCESIS INSULENSIS

JANUARIUS

3 S. Genovefæ Virg., *dupl.* Com. Oct. S. Joannis Ap. et Ev.
27 B. Joannis Warnestonensis Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (*dupl.*).

FEBRUARIUS

1 S. EUBERTI EP. ET CONF., Civit. Insul. PATRONI SECUNDARII, *dupl. maj.* Com. S. Ignatii Ep. et Mart. (*dupl.*).
6 S. Vedasti Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Titi Ep. et Conf. (*dupl.*) ac S. Dorotheæ Virg. et Mart.
7 S. Chrysolii Ep. et Mart., *dupl.* Com. S. Romualdi Abb. (*dupl.*).
13 S. Amandi Ep. et Conf. (d. a. ex 6 huj.), *dupl.*
20 S. Eleutherii Ep. et Conf., *dupl.*

MARTIUS

2 B. Caroli Boni, Comitis Flandriæ, Mart., *dupl.*

APRILIS

10 S. Macarii Ep. et Conf., *dupl.*
16 S. Mariæ Bernardæ Soubirous Virg., *dupl.*

MAJUS

4 S. Godehardi Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Monicæ Vid. (*dupl.*).
5 S. Mauronti Abb., *dupl.* Com. S. Pii V Papæ et Conf. (*dupl.*).
30 S. JOANNÆ DE ARC VIRG., GALLIÆ PATRONÆ SECUNDARIÆ, *dupl. II cl.* Com. S. Felicis I Papæ et Mart.
31 B. M. V. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS, *dupl. maj.* Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. (*dupl.*) ac S. Petronillæ Virg.
Feria V infra Octavam Ssmi Cordis Jesu : EUCHARISTICI CORDIS JESU, *dupl. maj.*

JUNIUS

3 S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *dupl.*
8 S. Medardi Ep. et Conf., *dupl.*
14 COMMEMORATIO MIRACULORUM B. MARIÆ VIRG., titulo CANCELLATÆ, *dupl. maj.* Com. S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct. (*dupl.*).

27 Bb. Mariæ Magdalenæ Fontaine et trium Sociarum ejus Vv. et Mm., *dupl.* Com. Oct. S. Joannis Baptistæ.

JULIUS

3 B. Petri a Luxemburgo Conf. (d. a. e 2 huj.), *dupl.* Com. S. Leonis II Papæ et Conf. (*semid.*) et Octavæ Ss. App.
19 S. VINCENTII A PAULO CONF., *dupl. maj.*
20 S. Vulmari Abb., *dupl.* Com. S. Hieronymi Conf. (*dupl.*) ac S. Margaritæ Virg. et Mart.

AUGUSTUS

9 S. Joannis Mariæ Vianney Conf., *dupl.* Com. Vigiliæ S. Laurentii ac S. Romani Mart.
25 S. LUDOVICI REGIS, CONF., *dupl. maj.*

SEPTEMBER

5 S. Bertini Abb., *dupl.* Com. S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. (*semid.*).
9 S. Audomari Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Gorgonii Mart.
11 B. M. V. sub titulo DE DUNIS, *dupl. maj.* Com. Ss. Proti et Hyacinthi Mm.
13 S. Amati Ep. et Conf., *dupl.*

OCTOBER

1 S. REMIGII EP. ET CONF., *dupl. maj.*
3 S. TERESIÆ A JESU INFANTE VIRG., GALLIÆ PATRONÆ SECUNDARIÆ, *dupl. II cl.*
5 S. Piati Presb. et Mart. (d. a. e 1 huj.), *dupl.* Com. Ss. Placidi et Soc. Mm.
9 Ss. DIONYSII EP., RUSTICI ET ELEUTHERII MM., *dupl. maj.* Com. S. Joannis Leonardi Conf. (*duplex*).
16 S. Mommoleni Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Hedwigis Vid. (*semid.*).
27 Vigilia Ss. Simonis et Judæ App.
28 **B. MARIÆ VIRG., TITULO CANCELLATÆ, CIVIT. ET DIŒC. PATRONÆ AC TITUL. ECCL. CATHEDRALIS,** *dupl. I cl.* cum Octava communi.
29 SS. SIMONIS ET JUDÆ APP. (d. a. e 28 huj.), *dupl. II cl.*
30 De Octava, *semid.*
31 De Octava, *semid.* Com. Vigiliæ Omnium Sanctorum.

NOVEMBER

3 De Octava Omnium Sanctorum, *semid.* Com. Oct. B. Mariæ Virg. Cancellatæ.
4 OCTAVA B. MARIÆ VIRG. CANCELLATÆ, *dupl. maj.* Com. S. Caroli Ep. et Conf. (*dupl.*). Oct. Omnium Sanctorum ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.

5 Ss. RELIQUIARUM QUÆ IN ECCLESIIS DIŒCESIS ASSERVANTUR, *dupl. maj.* Com. Oct. Omnium Sanctorum.
6 S. Winnoci Abb., *dupl.* Com. Octavæ.
In Ecclesiis consecratis, **DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ,** *dupl. I cl.* cum Oct. communi. Com. S. Winnoci Abb. (*dupl.*).
7 S. Willibrordi Ep. et Conf., *dupl.* Com. Oct.
In Ecclesiis consecratis, Com. Oct. Omnium Sanctorum et Oct. Dedicationis.
8 OCTAVA OMNIUM SANCTORUM, *dupl. maj.* Com. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.
In Ecclesiis consecratis, Com. Oct. et Ss. Quatuor Coronatorum.
9 DEDICATIO ARCHIBASILICÆ SSMI SALVATORIS, *dupl. II cl.* Com. S. Theodori Mart.
10 S. Andreæ Avellini Conf., *dupl.* Com. Ss. Tryphonis et Soc. Mm.
In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ et Ss. Tryphonis et Soc. Mm.
11 S. MARTINI EP. ET CONF., *dupl. maj.* Com. S. Mennæ Mart.
In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ et S. Mennæ Mart.
12 S. Martini I Papæ et Mart., *semid.*
In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ.
13 S. Didaci Conf., *semid.*
In Ecclesiis consecratis, OCTAVA DEDICAT. PROPRIÆ ECCLESIÆ, *dupl. maj.* Com. S. Didaci Conf. (*semid.*).
21 PRÆSENTATIO B. M. V., *dupl. II cl.*

DECEMBER

1 S. ELIGII EP. ET CONF., *dupl. maj.*
14 S. Folquini Ep. et Conf., *dupl.* Com. Oct.
16 S. Everardi Conf., *dupl.* Com. S. Eusebii Ep. et Mart. (*semid.*).
17 Ss. Nicasii et Soc. Mm. (d. a. e 14 huj.), *dupl.*

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS
INSULENSIS

PARS ÆSTIVA

FESTA MAJI

DIE 30 MAJI

S. JOANNÆ DE ARC
VIRGINIS
PATRONÆ SECUNDARIÆ
TOTIUS GALLIÆ

Duplex II classis

Omnia de Comm. Virginum, præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Pss. ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adjutórium vobis. Et.

Lectio ii

LAUDÁBIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Fuíque.

Lectio iii

EXALTÁSTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. 4 Propter veritátem, * et mansuetúdinem, et justítiam dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Ant. 5 Arcum cónteret, * et confrínget arma, et scuta combúret igni.

Ant. 6 Justítia * et misericórdia plena est déxtera tua.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

Lectio iv

JOÁNNA de Arc, in óppido Domreménsi, olim diœcésis Tullénsis, nunc Sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus orta est, anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quinque annos Míchaël Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt quómodo rem jussam perágeret, Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit, ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. Ut.

Lectio v

SUPÉRNIS mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, post ália béllica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo, quæ fíeri necésse esset, suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. Et.

Lectio vi

Capta Joánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rothómagum mox ducta, cum ibi in jus rapta esset, quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia ; sed ómnia pro Jesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos júdices causa, ínnocens et mitis Virgo damnáta est pœna combustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam támdiu desiderráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Jesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima Maji, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Románа Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sǽpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Callísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sǽculo undevigésimo, Leo décimus tértius Aurelianénsis puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Joánnam de Arc summus Póntifex Pius décimus in beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in sanctárum Vírginum número rétulit. Pius tandem undécimus, Francórum votis prǽsulum ánnuens, post beátam Maríam in cælos assúmptam, Gálliæ patrónam illam secúndam declarávit et constítuit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. Si. Glória Patri. Si.

In III Nocturno

Ant. 7 Conféssio * et pulchritúdo in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Ant. 8 Annuntiavérunt * cæli justítiam ejus, et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Ant. 9 Judicávit * in justítia, et pópulos in æquitáte.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Cap. 16, 17

O BEÁTUM damnum et jactúra felix ! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sǽculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est ?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus : * Fac, Dómine, ut máneat Nomen sanctum tuum in terra nostra. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo Hóstia et Sacrifícium. Fac, Dómine.

Lectio viii

QUÆ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur ? Cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis, ut merebúntur. Quid offerémus ad vitam ? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum, famǽque títulos, aut véteres delegátæ nobilitátis imágines ? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus : et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium, terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Quia minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Pro S. Felice Papa et Mart. :

Lectio ix

FELIX Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre præfuit Ecclésiæ. Constítuit ut Missa supra memórias et sepúlcra Mártyrum celebrarétur. Qui, cum mense Decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset presbýteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca quinque, martýrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica quam a se ædificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

Te Deum laudámus.

Si autem ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, erit sequens

Lectio ix

GRAVE onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut cum sensum vitæ hómines ex vivéndi afféctu habére cœpíssent, fructum ejus, qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent ; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent : cum sensus hujus exórdium ex afféctu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut contra vim sensúmque judícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ æternitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait : Quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat, qui loquerétur de illa verbum malum.

Pss. de Dom.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta loricam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

HÓSTIUM victrix, properánte cursu,
Cárolum ad sanctam comitáris ædem,
Ut triumphántem sacra rite signet
Unctio regem.

Gáudio fundens lácrimas, Joánna,
Príncipi plaudis : Dómino repéndis
Débitas grates, retinésque dextra
Nóbile signum.

Erigens longa pópulum ruína,
Mira fecísti, generósa Virgo :
Jure te nostræ pátriæ paréntem
Sæcla vocábunt !

Sed manet major meliórque merces :
Te novus poscit labor et triúmphus :

Te Deus mittens, dabit ipse vires,
Atque corónam.
Qui dedit presso pópulo salútem,
Laude ter sanctum Dóminum colámus,
Semper ut tantæ méritis patrónæ
Gállia vivat.
Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

Ad Bened. Ant. Stans beáta Joánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, dicens : Dómine Jesu, áccipe spíritum meum : ne státuas illis hoc peccátum.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Felicis I Papæ et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Horas, Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat, qui loquerétur de illa verbum malum.

AD TERTIAM

Ant. Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

Capit. Sap. 8, 9-10

Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

℟. br. Méritis et précibus * Beátæ Joánnæ. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Beátæ Joánnæ. Glória Patri. Méritis.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

AD SEXTAM

Ant. Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

Capit. Sap. 8, 12

TACÉNTEM me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus * Suscéptor meus. Factus. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Suscéptor meus. Glória Patri. Factus.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD NONAM

Ant. Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 13

HABÉBO, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

IN II VESPERIS

Ant. et Capit. de Laud., Pss. ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

Hymnus

SALVE, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ!
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.
Voces supérnas áudiens,
Jesu repléta lúmine,

Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque júdices.

Oppréssa flammis, clámitas
Jesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádjuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Sit laus Patri, sit Fílio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Magnif. Ant. Joánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. seq. Festi B. Mariæ Virg. Omnium Gratiarum Mediatricis, ac S. Angelæ Mericiæ Virg., ut infra.

Compl. de Dom.

DIE 31 MAJI

BEATÆ MARIÆ VIRG. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS

Duplex majus

Omnia de Comm. Fest. B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

Pro Com. B. Mariæ Virg. in II Vesp. S. Joannæ :

Ant. Ecce Dóminus meus ómnia mihi trádidit, nec quidquam est, quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut, quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : (Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.)

Deinde fit Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. (Duplex) :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere ; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére vóluit per Maríam, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Christus, humáni géneris misértus,
Morte nos ictos mérita, supérnam
Rursus ad vitam génuit, suóque
Sánguine tersit.

O pium flumen, scelus omne purgans !
O inexháustum pélagus bonórum,
Unde septéno fluit usque fonte
Vita salúsque !

Hos tamen sacros látices redémptis
Quis ministrábit ? Datur hoc Maríæ
Munus, ut divæ moderétur undæ,
Arbitra, cursum.

Cuncta, quæ nobis méruit Redémptor,
Dona partítur Génitrix María,
Cujus ad votum sua fundit ultro
Múnera Natus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Fons hortórum, * púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

Ant. 2 Manus meæ * stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima.

Ant. 3 Vadam ad montem * myrrhæ, et ad collem thuris.

℣. Sub tuum præsídium omnes confúgimus. ℟. Sancta Dei Génitrix.

De libro Ecclesiástici

Lectio i   Cap. 24, 5-11

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti : et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui : et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. In Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea : * Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. ℣. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Et radicávi.

Lectio ii   Ibid., 22-31

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me adhuc esúrient : et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur : et qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et justítia : * Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. ℣. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum rémpleam. Mélior est.

Lectio iii Ibid., 41-46

Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso. Dixi : Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans et flúvius meus appropinquávit ad mare : quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus et enárrabo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis : * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. ℣. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Transíte. Glória Patri. Transíte.

In II Nocturno

Ant. 4 Hábuit grátiam * et misericórdiam coram Rege super omnes mulíeres.

Ant. 5 Pete, Mater mea ; * neque enim fas est ut avértam fáciem tuam.

Ant. 6 Tu ínvoca Dóminum, * et lóquere Regi pro nobis, et líbera nos de morte.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias. ℟. In necessitátibus nostris.

Orátio sancti Ephræm Syri Diáconi ad Deíparam

Lectio iv

DÓMINA mea, sanctíssima Dei Génitrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnerum, bonórum ómnium erogátio, ómnium post Trinitátem Dómina, post Paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediátrix totíus mundi, vide meam fidem meúmque desidérium divínitus datum. Ne despícias indígnum, neque meárum actiónum fœditátes tuam imménsam misericórdiam interrúmpant, Dei Génitrix, meum desiderabilíssimum nomen; nihil enim est fírmius trophæum quam tuum auxílium. Tu enim abstulísti omnes lácrimas a fácie terræ ; tu creatúram replésti omni génere benefícii, cæléstibus lætítiam attulísti, terréstria salvásti. Per te resurrectiónis nostræ tésseram certíssimam tenémus ; per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus ; per te omnis glória, honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiónem sǽculi Apóstolis, Prophétis, justis et humílibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur ; atque in te gaudet, grátia plena, omnis creatúra.

℟. Ecce Dóminus meus ómnia mihi trádidit, * Nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Nec.

Sermo sancti Germáni Epíscopi Constantinopolitáni

Oratio 9 post medium

Lectio v

NOS, qui divinórum óperum morúmque páuperes sumus, dum per te, o María, nobis exhíbitas benignitátis divítias cérnimus, propénse dicámus : Misericórdia Dómini plena est terra. Nos in multitúdine peccatórum a Deo extórres, per te Deum quæsívimus et invénimus, inventóque salvi facti sumus. Igitur potens ad salútem præstándam auxílium tuum, o Dei Génitrix, ac ejúsmodi, ut nullum álium mediatórem necessárium hábeat ad Deum. Plane enim nullus tuæ magnificéntiæ finis ; insatiábilis opitulátio tua. Nullus múnerum tuórum númerus est. Nullus enim, nisi per te, o sanctíssima, salútem conséquitur. Nullus, nisi per te, o immaculatíssima, qui a malis liberétur. Nullus, nisi per te, o castíssima, cui donum indulgeátur. Nullus, nisi per te, o honoratíssima, cui grátiæ munus misericórdia præstétur. Quam ob rem, quis te beátam non prædicábit ? Te, inquam, gloriósam, te beatificándam, quæ ab ipso Fílio tuo ac Deo magnália nacta sis, uti magna et admiránda : quam ob rem te laudant omnes generatiónes.

℟. Præpósita ómnibus gubérnat créditam sibi domum et univérsa, quæ ei sunt trádita : * Absque ejus império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra. ℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Absque.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

In Nativ. B. M. V., n. 6

Lectio vi

Intuére, o homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cæléstí rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit : redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Ut quid hoc ? Forte ut excusarétur Heva per fíliam, et queréla viri advérsus féminam deínceps sopirétur. Ne díxeris ultra, o Adam : Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vétito ; dic pótius : Múlier quam dedísti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíssimum sane consílium ; sed latet fórsitan áliud, nec totum hoc est. Altius ergo intuémini, quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María : ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus, et votis ómnibus Maríam hanc venerémur, quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se : * Et in me, ancílla sua, adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël. ℣. Deus exaltávit me, ut salvos fáceret multos pópulos. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. 7 Si invéni grátiam * in óculis tuis, o Rex, dona mihi pópulum meum, pro quo óbsecro.

Ant. 8 Benedícta es tu* præ ómnibus muliéribus super terram, quia subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

Ant. 9 Domináre nostri, * tu, et Fílius tuus : quia liberásti nos de manu inimicórum nostrórum.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper. ℟. Virgo gloriósa et benedícta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 25-27

IN illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bernardíni Senénsis

Quadrag. de christiana Religione, Sermo 51 de Pass. Dom., part. 2, art. 1, cap. 3

PULSÁNTUR admiratióne ómnium legéntium sive audiéntium mentes, scílicet quo motu, quo sensu, qua possibilitáte, qua vera auctoritáte, ista dicúntur, quod discípulus tránseat in fílium Vírginis, et Virgo hábeat purum hóminem fílium, quem non génuit; sic nec quod sit fílius ex Vírgine, qui de corrúptis paréntibus natus erat ex sémine. Impossibília quidem vidéntur hæc, sed nihil impossíbile apud Deum. Pietáte quidem et oratióne opus est ad ingrediéndum tale mystérium. Múlier enim beáta Virgo vocátur a Christo quam numquam appellávit ex vócibus matrem. Múlier, et non múlier : sed super ángelos et hómines, et mulíeres superexcédens múlier. Accépit a Fílio, quem cum ætérno Patre únicum possidébat, fílium præter ventrem, quem ante in carne habébat ipsa nepótem.

℟. Facta est María refúgium páuperi, * Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne. ℣. Virgo potens sicut turris David : mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Adjútrix.

Lectio viii

SED in quo filiatiónis génere Joánnes Vírginis factus est fílius, aut ejus mater facta est Virgo ? Non hoc natúra favet, non concéptus, non partus exséquitur, non ingréssus in úterum, ut dénuo nascerétur, non adóptio pro hereditáte in temporálibus consequénda, nec ex imitatióne, aut ex prolàta doctrína. Nec ista disserénda erant verbo Christi : nec facta est locútio ut sit quasi, sed sic a Christo légimus dictum : Múlier, ecce fílius tuus, ut, exclúsa omni superfluitáte verbórum, secrétum mystérii penetrémus. Mýstice ígitur intellígimus in Joánne omnes ánimas electórum, quorum per dilectiónem beáta Virgo facta est mater ; fílius enim in græco nomen amóris est. Omnis enim Christi amor in amórem Vírginis transit, ut mérito fílius, id est, amor Vírginis nuncupétur, magísque Vírginem hábeat matrem, quam illam, quæ illum ex peccáto damnátum mundo, suscépto sémine generávit.

℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Ut. Glória Patri. Ut.

Pro S. Angela Mericia :

Lectio ix

ANGELA Merícia, piis orta paréntibus, a prima ætáte magna virtútum specímina dedit, cilício ac flagéllis frequénter usa, et oratióni indesinénter dédita. Patérnis bonis abdicátis, ac régulam tértii órdinis sancti Francísci ampléxa, evangélicam paupertátem virginitátis laudi conjúnxit, nullúmque pietátis offícium erga próximos omísit. Sacra Eucharístia frequentíssime refécta, tanta caritátis vi ferebátur in Deum, ut sǽpius extra sensus raperétur. Bríxiæ novam vírginum societátem sub certa disciplína sanctísque vivéndi régulis constítuit, quam sanctæ Ursulæ patrocínio ac nómine insignívit. Tandem prope septuagenária evolávit in cælum, anno Dómini millésimo quingentésimo quadragésimo, sexto Kaléndas Februárii. Cultum illi jámdiu exhíbitum Clemens Papa décimus tértius solémni decréto ratum hábuit et confirmávit. Pius vero Papa séptimus sanctárum Vírginum catálogo eam adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Sicubi autem ix Lectio alicujus Officii commemorati non fuerit dicenda, erit sequens

Lectio ix

MUTÁTUR hæc matérnitas et filiátio ex auctoritáte verbórum Christi in cruce pendénti Proptérea natúra trans in grátiam, et grátia n bílitat profécto natúram non quod una in áltera commutétur, sed qui natúra ex grátia perfícitur. Mala múlier Hev corruptióne natúræ ; bona múlier María, mate grátiæ, mater misericórdiæ. Datur mater grátia pro matre natúræ ; manet tamen mater natúra, manet étiam mater ex grátia. Erat enim Joánni mater María Salóme in órdine succedéntis natúræ ; est étiam sibi mater beáta Virgo in órdine grátiæ. Est mater Heva cunctórum per tráducem natúræ ; est et Virgo María mater ómnium amántium Christum per infusiónem invisíbilis grátiæ.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Benedictiónem* ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

Pss. de Dominica.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui.

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona.

Capit. Isai. 55, 1

OMNES sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus

MARÍA, quæ mortálium
Preces amánter éxcipis,
Rogámus ecce súpplices,
Nobis adésto pérpetim.
Adésto, si nos críminum
Caténa stringit hórrida ;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpis ílligant.
Succúrre, si nos sæculi
Fallax imágo péllicit,
Ne mens salútis trámitem,
Oblíta cæli, déserat.
Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat;
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.
Tuis et esto fíliis
Tutéla mortis témpore,
Ut, te juvánte, cónsequi
Perénne detur præmium.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Ant. Absque tuo império * non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut, quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

Et fit Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere ; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis.

Deinde Com. S. Petronillæ Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Petronillæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

AD PRIMAM

Ant. Benedictiónem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

AD TERTIAM

Ant. In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem.

Capit. Isai. 55, 1

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

℟. br. Sub tuum præsídium * Omnes confúgimus. Sub tuum. ℣. Sancta Dei Génitrix. Omnes confúgimus. Glória Patri. Sub tuum.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias. ℟. In necessitátibus nostris.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut, quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

AD SEXTAM

Ant. Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas.

Capit. Is. 55, 2-3

AUDÍTE audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra.

℟. br. Nostras deprecatiónes * Ne despícias. Nostras. ℣. In necessitátibus nostris. Ne despícias. Glória Patri. Nostras.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper. ℟. Virgo gloriósa et benedícta.

AD NONAM

Ant. Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona.

Capit. Isai. 55, 5

ECCE gentem, quam nesciébas, vocábis : et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. br. A perículis cunctis * Líbera nos semper. A perículis. ℣. Virgo gloriósa et benedícta. Líbera. Glória Patri. A perículis.

℣. Eja ergo, Advocáta nostra. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte.

IN II VESPERIS

Ant. et Capit. de Laudibus 26

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Salus nostra * in manu tua est; réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino.

Oratio Dómine Jesu, ut supra 28

Et fit Com. S. Angelæ Mericiæ :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere ; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

Complet. de Dom.

FERIA V INFRA OCTAVAM SSMI CORDIS JESU

EUCHARISTICI CORDIS JESU

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Desidério desiderávi * hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

Psalmi ut in Vesp. Festi Ssmi Corporis Christi.

2 Veníte, * comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

3 Caro mea * vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

4 O quam bonus * et suávis est, Dómine, spíritus tuus, allelúja.

5 Lætábor * super pópulo meo cum bene eis fécero in toto corde meo, et in tota ánima mea.

Capit. Ephes. 3, 8-9

FRATRES : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sǽculis in Deo, qui ómnia creávit.

Hymnus

COR dulce Jesu, quis tuum
In nos amórem flámmeum,
Quis dicat inde spléndida
Enáta nobis múnera ?
Enárret hæc Apóstolus,
Cui ter beáto cóntigit
Super Magístri péctore
Cœnántis acquiéscere.
Optáta, Jesus díxerat,
Illúcet hora, víctimam
Qua sponte me, pro sóntibus
Vitam datúrus, ímmolem.
Ampléctar ultro víncula,

Flagélla, serta spínea,
Clavos, et ima péctoris
Transverberántem lánceam.

Sed prórípit me lóngius
Amóris ardor; pérsequar,
Cælo recéptus, ínfimis
His immorári sédibus.

Sacris in aris, íntegrer
Homo Deúsque cándida
Sub panis umbra délitens,
Solábor Hevæ fílios.

Cor dulce Jesu, múnera
Tot unde nobis prófluunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

℣. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, allelúja. ℟. Implens cibo et lætítia corda nostra, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Cœnántibus autem eis, * accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : Accípite, et comédite : hoc est corpus meum.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, qui, divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti : da nobis, quǽsumus; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus : Qui vivis.

Complet. de Dom.

Conclusio Hymnorum erit sequens :

Jesu, tibi sit glória,
Qui Corde fundis grátiam,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invit. Cor Jesu sanctíssimam Eucharístiam nobis donans, * Veníte, adorémus.

Hymnus

COR dulce Jesu, Pábuli
Invéntor Eucharístici,
Salve, piásque súscipe
Ex orbe toto grátias.

O finis expers Cáritas,
Cui páruit poténtia
Intermináta, máximum
Ut éderet miráculum.

Nostris in aris óccupat
Divínus Hospes céllulam
Vel último mortálium
Noctes diésque pérviam.

Hinc gratiárum pérpetem
Effúndit Ille cópiam;
Admíttit omnes, néminem
Abíre tristem sústinet.

Instrúxit et Convívium,
Dapémque nobis cǽlitem
Sui minístrat Córporis,
Suíque potum Sánguinis.

Cor dulce Jesu, múnera
Tot unde nobis próflunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Quid est homo,* quod memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Psalmus 8

DÓMINE, Dómine noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra, * qui extulísti majestátem tuam super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium parásti laudem contra adversários tuos, * ut compéscas inimícum et hostem.

Cum vídeo cælos tuos, opus digitórum tuórum, * lunam et stellas quæ tu fundásti :

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut fílius hóminis, quod curas de eo ? —

Et fecísti eum paulo minórem Angelis, * glória et honóre coronásti eum ;

Dedísti ei potestátem super ópera mánuum tuárum, * ómnia subjecísti pédibus ejus :

Oves et boves univérsos, * ínsuper et pécora campi,

Vólucres cæli et pisces maris : * quidquid perámbulat sémitas márium.

Dómine, Dómine noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Ant. Quid est homo, quod memor es ejus ? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Ant. 2 Mittit nobis Dóminus * auxílium de sancto : et de Sion tuétur nos.

Psalmus 19

EXÁUDIAT te Dóminus die tribulatiónis, * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de Sancto, * et de Sion te susténtet.

Memor sit ómnium oblatiónum tuárum, * et holocáustum tuum hábeat gratum.

Tríbuat tibi quæ optat cor tuum, * et ímpleat omne consílium tuum.

Lætémur de victória tua, et in nómine Dei nostri extollámus vexílla ; * ímpleat Dóminus omnes petitiónes tuas ! —

Jam novi Dóminum tribuísse victóriam uncto suo, * exaudísse eum de cælo sancto suo fortitúdine victrícis déxteræ suæ.

Illi cúrribus et isti equis, * nos autem nómine Dómini, Dei nostri, fortes sumus.

Illi collápsi sunt et cecidérunt, * nos vero stamus et permanémus. —

Dómine, victóriam tríbue regi * et exáudi nos, quo die te invocámus.

Ant. Mittit nobis Dóminus auxílium de sancto : et de Sion tuétur nos.

Ant. 3 Misericórdia Dómini * subséquitur nos ómnibus diébus vitæ nostræ.

Psalmus 22

DÓMINUS pascit me : nihil mihi deest ; * in páscuis viréntibus cubáre me facit.

Ad aquas, ubi quiéscam, condúcit me ; * réficit ánimam meam.

Dedúcit me per sémitas rectas * propter nomen suum.

Etsi incédam in valle tenebrósa, * non timébo mala, quia tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus : * hæc me consolántur. —

Paras mihi mensam * spectántibus adversáriis meis ;

Inúngis óleo caput meum ; * calix meus ubérrimus est.

Benígnitas et grátia me sequéntur * cunctis diébus vitæ meæ,

Et habitábo in domo Dómini * in longíssima témpora.

Ant. Misericórdia Dómini subséquitur nos ómnibus diébus vitæ nostræ.

℣. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, allelúja. ℟. Implens cibo et lætítia corda nostra, allelúja.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios

Lectio i Cap. 1, 3-8

BENEDÍCTUS Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis, in omni sapiéntia et prudéntia.

℟. Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * Visitávit nos óriens ex alto. ℣. Quid est homo quia magníficas eum ? aut quid appónis erga eum Cor tuum. Visitávit.

Lectio ii Cap. 3, 14-21

Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris : in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum : scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis : ipsi glória in ecclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes sǽculi sæculórum.

℟. Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus, * Annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Cantáte ei et psállite ei : narráte ómnia mirabília ejus. Annuntiáte.

Lectio iii Cap. 4, 1-6

Obsecro ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis.

℟. Unus panis, unum corpus multi sumus, * Omnes qui de uno pane participámus. ℣. Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos. Omnes. Glória Patri. Omnes.

In II Nocturno

Ant. 4 Quid bonum ejus * est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines ?

Psalmus 41

QUEMÁDMODUM desíderat cerva rivos aquárum, * ita desíderat ánima mea te, Deus.

Sitit ánima mea Deum, Deum vivum : * quando véniam et vidébo fáciem Dei ?

Factæ sunt mihi lácrimæ meæ panis die ac nocte, * dum dicunt mihi quotídie : * Ubi est Deus tuus ? »

Illud recórdor et effúndo ánimum meum intra me : quómodo incésserim in turba, * præcésserim eos ad domum Dei,

Inter voces exsultatiónis et laudis, * in cœtu festívo.

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me ?

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

In me ipso ánima mea deprímitur : * ídeo recórdor tui ex terra Jordánis et Hermon, ex monte Misar.

Gurges gúrgitem vocat cum fragóre cataractárum tuárum : * omnes fluctus et undæ tuæ super me transiérunt.

Per diem largiátur Dóminus grátiam suam, * et nocte canam ei, laudábo Deum vitæ meæ.

Dico Deo : Petra mea, cur oblivísceris mei ? * Quare tristis incédo, ab inimíco oppréssus ?

Ossa mea frangúntur, dum insúltant mihi adversárii mei, * dum dicunt mihi quotídie : « Ubi est Deus tuus ? »

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me?

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

Ant. Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines?

Ant. 5. Audíte, * audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra.

Psalmus 83

Quam dilécta habitátio tua, Dómine exercítuum! * desíderat, languens concupíscit ánima mea átria Dómini ;

Cor meum et caro mea * exsúltant ad Deum vivum.

Etiam passer invénit domum, * et hirúndo nidum sibi, ubi ponat pullos suos :

Altária tua, Dómine exercítuum, * rex meus et Deus meus! —

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine, * perpétuo laudant te.

Beátus vir, cujus auxílium est a te, * cum sacra itínera in ánimo habet :

Transeúntes per vallem áridam, fontem fácient eam, * ac benedictiónibus véstiet eam plúvia prima.

Procédent de róbore in robur ; * vidébunt Deum deórum in Sion.

Dómine exercítuum, audi oratiónem meam ; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Clýpeus noster, áspice, Deus, * et réspice fáciem uncti tui.

Vere, mélior est dies unus in átriis tuis * quam álii mille ;

Consístere malo in límine domus Dei mei, * quam morári in tabernáculis peccatórum.

Nam sol et clýpeus est Dóminus Deus : * grátiam et glóriam largítur Dóminus,

Non negat bona eis * qui ámbulant in innocéntia.

Dómine exercítuum, * beátus homo qui confídit in te.

Ant. Audíte, audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra.

Ant. 6. Non esúrient, * neque sítient ámplius, quóniam Agnus dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum.

Psalmus 86

FUNDATIÓNEM suam in móntibus sanctis díligit Dóminus : * portas Sion magis quam ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa prædicántur de te, * cívitas Dei ! —

Accensébo Rahab et Babel coléntibus me : * ecce, Philistǽa et Tyrus populúsque Æthíopum : hi nati sunt illic.

Et de Sion dicétur : « Virítim omnes sunt nati in ea, * et ipse firmávit eam Excélsus ». —

Dóminus scribet in libro populórum : * « Hi nati sunt illic ».

Et cantábunt, dum chorum ducent : * « Omnes fontes mei sunt in te ».

Ant. Non esúrient, neque sítient ámplius, quóniam Agnus dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum.

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, allelúja. ℟. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos, allelúja.

Sermo sancti Alfónsi Maríæ Epíscopi

Ex Novendiali

Lectio iv

O si nobis datum esset amórem comprehéndere, qui in Corde Jesu ardet erga nos ! Adeo nos diléxit ut, si omnes hómines, ángeli et sancti vires suas ad amándum conjúngerent, ne millésimam quidem partem attíngerent dilectiónis, qua Ipse nos compléctitur. Jesu amor nostrum erga nosmetípsos amórem in imménsum súperat ; præter omnem modum nos diléxit : Dicébant excéssum ejus quem completúrus erat in Jerúsalem. Deus cum sit, perpétua nos caritáte diléxit, ita ut nullum fúerit ab ætérno moméntum quo de nobis non cogitárit et unumquémque nostrum non amáverit : Caritáte perpétua diléxi te. Amóre nostri homo factus, vitam ærúmnis plenam mortémque crucis sibi elégit, nostram felicitátem próprio honóri, própriis cómmodis, própriæ vitæ præpónens omnibúsque renúntians ad suum nobis amórem demonstrándum. Hæc autem nonne caritátem produnt in excéssus proruéntem, qui ángelos et cælites omnes per totam stupefácient æternitátem ?

℟. In dilectióne sua, et indulgéntia sua Dóminus redémit pópulum suum, et portávit eos, * Et elevávit eos cunctis diébus sæculi. ℣. Expándit alas suas atque portávit in húmeris suis. Et.

Lectio v

IDEM ille amor cómpulit eum ut nobíscum permanéret in Sanctíssimo Sacraménto tamquam in régio caritátis sólio. Ibi enim degit sub spécie panis, tabernáculo inclúsus, sua majestáte spoliátus, immóbilis et sénsuum usu destitútus, ita ut nihil ibi ágere videátur quam hómines dilígere. Amor perpétuam præséntiam vult amáti, et ídeo Dóminus Jesus remánsit nobíscum in Sanctíssimo Sacraménto. Amantíssimo Salvatóri nimis breve visum est per solos trigínta tres annos cum homínibus in terra commorári, et proptérea ad expléndum desidérium suum perpétuo nobíscum permanéndi, necésse ipsi visum est máximum ómnium operári miráculum et institúere Sanctíssimæ Eucharístiæ Sacraméntum. Jam peráctum erat opus redemptiónis, jam Deo reconciliáti erant hómines ; ad quid ergo in hoc Sacraménto remánsit Dóminus ? Remánsit, quia suum a nobis discéssum Cor ejus ferre non póterat, testátus suas delícias esse nobíscum. Quinímmo amor ille ímpulit eum ut étiam cibus animárum nostrárum fíeret, ut nobis se uníret, ut de córdibus nostris deque suo quasi una res fíeret : Qui mandúcat meam carnem in me manet et ego in eo. O prodígium stupéndum, o excéssum caritátis Dei erga nos !

℟. Jesus cum dilexísset suos, qui erant in mundo, * In finem diléxit eos. ℣. Sciens quia ómnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exívit, et ad Deum vadit. In finem.

Lectio vi

E CORDE Jesu amantíssimo ómnia quidem Sacraménta prodiérunt, potíssimum tamen inde procéssit Sacraméntum amóris, quo Ipse nobis esset vitæ sócius, ánimæ cibus, sacrifícium infiníti valóris. — Hæc adoránda Cordis adinvéntio summíque amóris demonstrátio jure mérito peculiári cultu recolénda est populísque prædicánda, his nostris præsértim refrigescéntis caritátis tempóribus. Id agnovérunt complúres per orbem sacrórum Antístites, qui pietátem erga Eucharísticum Cor Jesu ubíque propagándam curárunt. Hinc Leo Papa décimus tértius várias preces in ejúsdem Eucharístici Cordis Jesu honórem Indulgéntiis ditávit et Archisodalitátem sub præfáto título in ecclésia sancti Jóachim in Urbe eréxit. Benedíctus autem décimus quintus, Póntifex máximus, devotiónem erga Cor Jesu, Sanctíssimum Eucharístiæ nobis pródigens Sacraméntum, probávit. Quo vero salutáris hæc píetas ulterióra accíperet increménta, et uberióres in fidélibus prodúceret fructus, idem summus Póntifex Offícium et Missam próprìam in honórem Eucharístici Cordis Jesu concéssit.

℟. Dóminus noster Jesus Christus diléxit nos et dedit consolatiónem ætérnam * Et spem bonam in grátia. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino : et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. 7 Tóllite hóstias * et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Psalmus 95

CANTÁTE Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnes terræ.

Cantáte Dómino, benedícite nómini ejus, * annuntiáte de die in diem salútem ejus.

Enarráte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus. —

Nam magnus est Dóminus et laudándus valde, * timéndus magis quam omnes dii.

Nam omnes dii géntium sunt figménta ; * Dóminus autem cælos fecit.

Majéstas et decor præcédunt eum ; * poténtia et splendor sunt in sede sancta ejus. —

Tribúite Dómino, famíliæ populórum, tribúite Dómino glóriam et poténtiam ; * tribúite Dómino glóriam nóminis ejus.

Offérte sacrifícium et introíte in átria ejus ; * adoráte Dóminum in ornátu sacro.

Contremísce coram eo, univérsa terra ; * dícite inter gentes : Dóminus regnat.

Stabilívit orbem, ut non moveátur : * regit pópulos cum æquitáte.—

Læténtur cæli, et exsúltet terra ; ínsonet mare et quæ illud implent ; * géstiat campus et ómnia quæ in eo sunt.

Tum gaudébunt omnes árbores silvæ coram Dómino, quia venit, * quia venit régere terram.

Reget orbem terrárum cum justítia, * et pópulos cum fidelitáte sua.

Ant. Tóllite hóstias et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Ant. 8 Introíbo * ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Psalmus 42

Jus redde mihi, Deus, et age causam meam advérsus gentem non sanctam ; * ab hómine dolóso et iníquo líbera me,

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti ? quare tristis incédo, ab inimíco oppréssus ?

Emítte lucem tuam et fidelitátem tuam : ipsæ me ducant, * addúcant me in montem sanctum tuum et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum lætítiæ et exsultatiónis meæ,

Et laudábo te cum cíthara, * Deus, Deus meus !

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me ?

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

Ant. Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Ant. 9 Per Jesum offerámus * hóstiam laudis semper Deo.

Psalmus 149

Cantáte Dómino cánticum novum ; * laus ejus sonet in cœtu sanctórum.

Lætétur Israël de factóre suo, * fílii Sion exsúltent de rege suo.

Laudent nomen ejus choro, * týmpano et cíthara psallant ei,

Quia Dóminus díligit pópulum suum, * et húmiles victória ornat.

Exsúltent sancti de glória, * læténtur in cubílibus suis. —

Præcónia Dei sint in gútture eórum, * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ut fáciant vindíctam in géntibus, * castigatiónes in pópulis ;

Ut álligent reges eórum compédibus, * et nóbiles eórum mánicis férreis ;

Ut fáciant de eis judícium præstitútum : * hoc glóriæ est ómnibus sanctis ejus.

Ant. Per Jesum offerámus hóstiam laudis semper Deo.

℣. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, allelúja. ℟. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 22, 15-20

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Desidério desiderávi hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 46 in Joann.

Non solum per dilectiónem, sed étiam reípsa cum carne Christi commiscémur; per cibum scílicet, quem dedit nobis in demonstratiónem amóris, quo erga nos fervet. Ideo quippe se nobis commíscuit et in unum redégit, ut unum simus quasi corpus conjúnctum cápiti ; ardéntis enim amóris hoc est. Quod subíndicat Job de servis suis dicens eos sic eum amásse ut carni ejus admiscéri peroptárent, dicéntes : Quis det nobis de cárnibus suis ut saturémur ? Hoc Christus reápse fecit, ad majórem dilectiónem nos

BIBL. STE GENEVIÈVE

próvocans et suum nobis demónstrans amórem. Neque enim ipsum concupiscéntibus se vidéndum modo præbuit, sed étiam tangéndum, comedéndum, déntibus teréndum, commiscéndum, omne implens desidérium.

℟. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * Et mirabília ejus fíliis hóminum. ℣. Et sacríficent sacrifícium laudis : et annúntient ópera ejus in exsultatióne. Et.

Lectio viii

AB illa ergo mensa recedámus tamquam leónes ignem spirántes, diábolo terríbiles, cogitántes quale sit caput nostrum et quantam nobis dilectiónem exhibúerit. Paréntes quidem áliis sæpe líberos suos tradunt aléndos : ego vero, inquit, cárnibus meis própriis vos alo, meípsum vobis appóno, omnes vos nóbiles esse volens, et bonam de futúris spem ásserens. Nam qui in hac vita meípsum vobis trádidi, multo magis in futúra hoc fáciam. Vólui frater vester fíeri, commúnem vobíscum assúmens carnem et sánguinem : vicíssim trado vobis carnem et sánguinem, quibus congéner factus sum vobis.

℟. Ab ortu solis usque ad occásum * Magnum est nomen meum in géntibus. ℣. Et in omni loco sacrificátur et offértur nómini meo oblátio munda. Magnum. Glória Patri. Magnum.

Lectio ix

SANGUIS Christi régium nobis ímprimit charactérem, incredíbilem parit pulchritúdinem, ánimæ nobilitátem consérvat, virtútem magnam infúndit. Digne recéptus dæmones procul pellit, ángelos vero ádvocat ; dæmones enim fúgiunt ubi vident sánguinem domínicum, accúrrunt vero ángeli. Hic sanguis salus animárum nostrárum est : eo ablúitur ánima, ornátur, incénditur ; mens rédditur igne splendídior et ad cælum elevátur. Cogitémus ítaque quibúsnam nos Deus dignátus sit donis, grátias agámus et glóriam referámus non solum per fidem sed étiam per ópera, ut futúra consequámur bona grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi, cui cum Patre glória, una cum Spíritu Sancto nunc et semper et in sǽcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Desidério desiderávi * hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

Pss. de Dom.

2 Veníte, * comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

3 Caro mea * vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

4 O quam bonus * et suávis est, Dómine, spíritus tuus, allelúja.

5 Lætábor * super pópulo meo cum bene eis fécero in toto corde meo, et in tota ánima mea.

Capit. Ephes. 3, 8-9

FRATRES : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sǽculis in Deo, qui ómnia creávit.

Hymnus

E CORDE Jesu pródiit
Oblátio quam Gólgotha
Vidit semel, quam míllies
Nunc ínnovant altária.
O digna cælis Hóstia
Qua laus suprémo Númini
Defértur æqua, cóncipi
Ut nulla possit ámplior !
Dignas et Ipse grátias
Nostro repéndit nómine
Ob dona, quæ divínitus
Imménsa nobis áffluunt.
Ac, deprecátor, víndicem
Exármat iram Júdicis,
Dum nostra delet crímina,
Suo rigáta sánguine.
Exórat omnem dénique
Nobis bonórum cópiam ;
Ac, dives ipse, dívite
A Patre quævis ímpetrat.
Cor dulce Jesu, múnera
Tot unde nobis prófluunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Ad Bened. Ant. Sciens Jesus * quia venit hora ejus ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexísset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti : da nobis, quǽsumus ; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus : Qui vivis.

Ad Horas Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Desidério desiderávi * hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

In ℟. br. dicitur ℣. Qui Corde fundis grátiam.

AD TERTIAM

Ant. Veníte, * comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

Capit. Ephes. 3, 8-9

Fratres : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sǽculis in Deo, qui ómnia creávit.

℟. br. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, * Allelúja, allelúja. De bono. ℣. Implens cibo et lætítia corda nostra. Allelúja, allelúja. Glória Patri. De bono.

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, allelúja. ℟. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos, allelúja.

AD SEXTAM

Ant. Caro mea * vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

Capit. Isai. 66, 12

Hæc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super Jerúsalem quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

℟. br. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, * Allelúja, allelúja. Inebriabúntur. ℣. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Inebriabúntur.

℣. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, allelúja. ℟. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur, allelúja.

AD NONAM

Ant. Lætábor * super pópulo meo cum bene eis fécero in toto corde meo, et in tota ánima mea.

Capit. Sophon. 3, 14-15

LAUDA, fília Sion : júbila, Israël : lætáre et exsúlta in omni corde, fília Jerúsalem : Rex Israël Dóminus in médio tui.

℟. br. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, * Allelúja, allelúja. Inebriábo. ℣. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Inebriábo.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Vesperæ de seq. die Oct. Ssmi Cordis Jesu, sine Com. præced.

IN II VESPERIS

(si dicendæ sint integræ)

Ant. et Capit. de Laud.; Psalmi ut in Vesp. Ssmi Corporis Christi.

Hymnus

INSIDENS nostris peramánter aris,
Christus imménsis ópibus redúndat ;
Hosque thesáuros avet in redémptas
Fúndere gentes.
O inexháustum pélagus bonórum
Némini clausum, refluúmque late !
Hinc tibi veras, homo, nec cadúcas
Cóllige gazas.
Huc veni, quisquis pietáte ferves
Quique fervórem cupis auctiórem ;
Flámmeum Jesu tibi Cor novéllos,
Ingeret ignes.
Huc veni, frigens et iners amátor ;
Ara te, Christi latitántis aula,
Coget impénsis stúdiis Amántem
Rursus amáre.

Huc veni tandem veniámque supplex
Posce, peccátor : lácrimas ciébit
Uberes Jesus, quibus atra tergas
Crímina vitæ.

Sint tibi juges, Trias alma, grates
Exsules quæ nos réficis supérno
Férculo, donec sátiet perénnis
Cœna beátos.
Amen.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ecce ego * vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sǽculi : dicit Dóminus. Allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti : da nobis, quǽsumus ; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus : Qui vivis.

Completorium de Dominica.

FESTA JUNII

DIE 3 JUNII

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ, VIDUÆ

Duplex

Capit. Mulíerem et Hymnus de Comm. nec Virg. nec Mart.

℣. Timébunt reges terræ glóriam tuam, Dómine. ℟. Et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

Ad Magnif. Ant. Tu honorificéntia * pópuli nostri : quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum.

Oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus natiónem : et, quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti ; eísdem, per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis affectum. Per Dñm.

In II Nocturno

Lectio iv

Clotíldis, Chilpérici regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo Burgundiónum rege necátis, Clodovéo adhuc éthnico ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Cum autem infántis, cui nomen impósitum fúerat Ingoméres, in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovéus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit, et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

At regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhǽsit, donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Rhemos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus fidem edóctus, baptizátus est, et chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis : ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, in eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Clodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodováldum, Guntárium et Clodoáldum apud se educávit. Tandem plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum ; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis suis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovéi, in sacrário basílicæ sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dictæ, ubi religióse colebátur. Exeúnte vero sæculo décimo octávo, cum ímpii sumpsíssent principátum et bellum Deo sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ cum áliis relíquiis, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deíndeque, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honoríſice asservántur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

Clotíldis, Chilpérici regis fília, paréntibus necátis, Clodovéo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Quæ non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Rhemos læta uxor occúrrens, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus baptizátus est. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis, ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, muníſica erga ecclésias et monastéria. Tandem plena diérum, migrávit ad Dóminum, et Parísios transláta, sepúlta est in sacrário basílicæ sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dictæ. Exeúnte vero sǽculo décimo octávo, cum ímpii bellum Deo sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt et deposuérunt in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii. Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum, de Communi.

AD LAUDES

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam.

Ad Bened. Ant. Cum invocásset * Clotíldis ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovéi regis.

Oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus natiónem : et, quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti ; eísdem, per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis affécturn. Per Dóminum.

In II Vesp., a Capit. fit de seq. S. Francisco Caracciolo.

Commemoratio S. Clotildis :

Ant. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit : sancta glorificávit, et multiplicávit vasa Sanctórum.

℣. Anima mea Dómino vivet. ℟. Et semen meum sérviet ipsi.

Oratio Réspice, quǽsumus, ut supra.

DIE 8 JUNII

SANCTI MEDARDI

EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui protectiónis tuæ grátiam quǽrimus ; intercedénte beáto Medárdo Confessóre tuo atque Pontífice, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Medárdus, natus apud Salencíacum, a piis paréntibus Nectárdo et Protágia, Veromanduénsi epíscopo est oblátus, ut in clericórum númerum adscriberétur. Crescéntibus cum ætáte vitæ méritis et doctrína, ad altióres gradus ascéndit. Présbyter ordinátus, reveréntia et obediéntia erga majóres, caritáte et zelo erga próximos, benignitáte erga páuperes, patiéntia in advérsis et humilitáte cláruit. Veromanduórum episcopátum, diu relúctans, regéndum suscépit, ac sedem episcopálem Noviómi, óppido propugnáculis egrégie muníto, collocávit, eo quod Augústa Veromanduórum cívitas a Vándalis et Hunnis evérsa esset.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Céterum, quo témpore ecclésiam, fixa Noviómi sede, felíciter gubernáret, sanctum Eleuthérium Tornacénsem epíscopum ad cæléstia prǽmia vocári cóntigit. Post cujus exséquias, clerus et pópulus Medárdum sibi dari epíscopum postulárunt. Quorum votis cum annúerent beátus Remígius ceteríque comprovinciáles epíscopi, rege étiam et procéribus sua auctoritáte rem promovéntibus, tanto bonórum consénsu victus Noviménsis præsul, Tornacénsis ecclésiæ curam suscépit, sede tamen cathedráli in utráque civitáte serváta. Quæ duárum ecclesiárum conjúnctio per sexcéntos círciter annos, ad Simónem vidélicet usque, permánsit, ut idem esset Tornacénsium et Novioménsium epíscopus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Mox Flandros, gentem tunc ferócem, quíndecim annórum spátio, docéndo, orándo, instándo, mira operándo, erudívit et convértit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quadragésimo quinto. Defúncti corpus Clotárius rex suis húmeris sústulit, cum summo honóre apud Suessiónes sepelívit et basílicam ad ejus túmulum fabricáre cœpit, quam póstea Sigebértus ejus fílius absólvit et ornávit. Ad sepúlcrum sancti Medárdi vinctórum cómpedes atque caténas dirúptas confractásque vidísse se testátur sanctus Gregórius Turonénsis, quæ in testimónium servabántur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

Medárdus, natus apud Salencíacum, a piis paréntibus Veromanduénsi epíscopo est oblátus, ut in clericórum númerum adscriberétur. Crescéntibus méritis et doctrína, présbyter ordinátus, reveréntia et obediéntia erga majóres, caritáte et zelo erga próximos, benignitáte erga páuperes, patiéntia in advérsis et humilitáte cláruit. Veromanduórum episcopátum, diu relúctans, regéndum suscépit, ac sedem episcopálem Noviómi collocávit, eo quod Augústa Veromanduórum cívitas a Vándalis et Hunnis evérsa esset. Céterum, quo témpore ecclésiam felíciter gubernáret, sanctum Eleuthérium Tornacénsem epíscopum ad cæléstia prǽmia vocári cóntigit. Tunc clerus et pópulus Medárdum sibi dari epíscopum postulárunt. Quorum votis cum annúerent beátus Remígius ceteríque comprovinciáles epíscopi, Novioménsis præsul Tornacénsis ecclésiæ curam suscépit, sede tamen cathedráli in utráque civitáte serváta. Mox Flandros, gentem tunc ferócem, docéndo, orándo, instándo, mira operándo, erudívit et convértit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quadragésimo quinto, et apud Suessiónes sepúltus est.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 2 de vocatione Gent., cap. 2 post medium

Datur unicuíque sine mérito, unde tendat ad méritum : et datur ante ullum labórem, unde quisque mercédem accípiat secúndum suum labórem. Quod ita esse, evangélicæ veritátis testimónio agnóscitur, ubi per comparatiónem dícitur, quod homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis substántiam suam. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, id est, secúndum própriam et naturálem possibilitátem, non autem secúndum próprium méritum. Quia áliud est posse operári, áliud operári ; et áliud est posse habére caritátem, áliud habére caritátem.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio viii

NON ítaque omnis reparábilis reparátur, nec omnis sanábilis sanátus est : quia reparábilem et sanábilem esse, de natúra est : reparátum autem et sanátum esse, de grátia est. Dénique isti, quibus secúndum módulum capacitátis suæ, quem in eis distribútor substántiæ prævidébat, dispar créditus est númerus talentórum, non mériti remuneratiónem, sed óperis accepére matériam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

IN qua duórum servórum vigilantíssima indústria non solum gloriósis láudibus honestátur, sed étiam in ætérna Dómini sui gáudia intráre præcípitur. Tértii vero pigrum ótium et desidiósa nequítia sic punítur, ut et vituperatiónis dedecorétur oppróbrio, et portióne, quam accéperat, exuátur. Dignus enim erat pérdere inútilem fidem, qui non exercúerat caritátem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui protectiónis tuæ grátiam quærimus ; intercedénte beáto Medárdo Confessóre tuo atque Pontífice, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum ; stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio

CONCÉDE, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui protectiónis tuæ grátiam quǽrimus; intercedénte beáto Medárdo Confessóre tuo atque Pontífice, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

Et fit Com. seq. Festi Ss. Primi et Feliciani Martyrum :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

FAC nos, quǽsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári : quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

DIE 14 JUNII

IN COMMEMORATIONE MIRACULORUM B. M. V.

TITULO

CANCELLATÆ

Duplex majus

Omnia de Comm. Festorum B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. O beáta Virgo María : * tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio

DEUS, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dñm.

Et fit Com. præced. Festi S. Antonii de Padua :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Antóni, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

ECCLÉSIAM tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui atque Doctóris solémnitas votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis.

Deinde Com. S. Basilii Ep., Conf. et Eccl. Doct. (Duplex) :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

EXÁUDI, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Basilíi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Sermo sancti Thomæ de Villanova Epíscopi

Concio 2 de Annuntiat.

Lectio iv

ADMIRÁNDAM omníque virtúte præstántem Genitrícem Dei Maríam pro mei ingénii exiguitáte toto ánimi desidério laudáre desíderans, nullum fere in sacris lítteris pótui reperíre præcónium, quod ad lítteram ejus nobis glóriam excellentiámque demónstret. Nam etsi de illa per prophétas plúrima mýstice dicta, fáctaque passim legántur, unde possit virtútis ejus magnitúdo constáre, in evangélicis tamen, aut apostólicis scriptis rarus de illa sermo, et multo rárior laus invenítur; quamvis, ut verum fátear, non ita siléntio trádita sit, ut in eórum dictis virtútum ejus cláritas tenuíssimo rádio, véluti per quasdam verbórum rímulas, non eníteat. Sed unde magis ejus glóriam, virtútes, dotésque ánimi potérimus auspicári, quam ex illo mirífico ejus et Angeli collóquio ? In quo præter hoc, quod angélico elóquio grátia pleníssima et ómnium feminárum prima mérito prædicátur, ex gestis ejus et dictis multa nimis præconiórum ejus silva emícuit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

Ingréssus Angelus ovánter, salutávit reverénter : Ave, inquit, grátia plena : Dóminus tecum : plena grátia, impléndа Deitáte, obumbránda virtúte ; grátia plena, de cujus plenitúdine accípiunt univérsi, de cujus abundántia totus repléndus est orbis. Et vere plena, in cujus ánimo nullus peccáto relíctus est locus, nullus iniquitáti pátuit accéssus. Dóminus tecum. Et quómodo tecum ? non útique sicut mecum, sed sicut núllibi : tecum in córpore, tecum in mente, tecum in ánimo, tecum in consílio, tecum in útero, tecum in auxílio, tecum in ortu, tecum in éxitu, tecum in fine, tecum sine fine.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem ? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

Concio 1 de Annuntiat.

Cælésti ergo legatióne audíta, sic fatur ad Angelum : Ecce ancílla Dómini : fiat mihi secúndum verbum tuum. Grandi ergo mystério, altissimóque Deitátis instínctu conceptúra Deum, sui méminit ancillátus, ut oriéntem a se fílium mundi obséquio mancipáret. Fiat mihi, ait, secúndum verbum tuum : et ad verbum ejus, statim in útero incarnátum est Verbum. O fiat potens, o fiat éfficax, o fiat super omne fiat, perpétuo honóre venerándum ! Hoc verbo fiat factus est mundus. Hoc verbo cæléstia terrestríaque Altíssimus cóndidit : sed tale fiat non sónuit in orbe, quale tu nunc beáta dixísti. Quid enim factum est ? quis dícere potest quid factum est ? Natúra stupet, judícium hæret, hebéscit sensus, lingua mutéscit, rátio déficit, intelléctus non capit quod factum est in María cum hoc prótulit verbum : Fiat mihi secúndum verbum tuum.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 26-35

In illo témpore : Missus est Gábriel Angelus a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David : et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 291 in Nativitate S. Joannis Baptistæ

Angelus vero idem ipse ad Maríam Vírginem : Ave, inquit, grátia plena : Dóminus tecum ; jam tecum est, qui erit in te. Dic mihi ergo, núntie Dei, quómodo fiet istud ? Vide Angelum sciéntem, illam quæréntem, non diffidéntem. Quia ergo vidit eam quæréntem, non diffidéntem, non se negávit instruéntem. Audi quómodo : erit virgínitas tua, tu tantum crede veritátem, serva virginitátem, áccipe integritátem. Quóniam íntegra est fides tua, intácta erit et intégritas tua. Dénique audi, quómodo fiet istud : Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi ; quia fide cóncipis, quia credéndo, in útero, non concumbéndo, habébis : proptérea quod nascétur de te Sanctum vocábitur Fílius Dei. Quid es, quæ póstea paritúra es ? unde meruísti ? unde hoc accepísti ? unde fiet in te, qui fecit te ? unde, inquam, tibi hoc tantum bonum ? Virgo es, sancta es, votum vovísti ; sed multum, quod meruísti, immo vero multum, quod accepísti.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. Quibus.

Lectio viii

NAM unde hoc meruísti? Fit in te, qui fecit te; fit in te, per quem facta es, immo vero per quem factum est cælum et terra, per quem facta sunt ómnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiéndo carnem, non amitténdo divinitátem. Et Verbum júngitur carni, et Verbum copulátur carni, et hujus tanti conjúgii thálamus úterus tuus, et hujus, inquam, tanti conjúgii, id est Verbi et carnis thálamus úterus tuus : unde ipse Sponsus procédit de thálamo suo. Invénit te Vírginem concéptus, dimíttit Vírginem natus. Dat fœcunditátem, non tollit integritátem. Unde tibi hoc ? Protérve Vírginem vídeor interrogáre, et quasi importúne aures verecúndas ista mea voce pulsáre. Sed vídeo Vírginem verecundántem, et tamen respondéntem, meque admonéntem. Quæris a me, unde mihi hoc ? Verecúndor tibi respondére bonum meum : Angeli audi ipsíus salutatiónem, et in me agnósce tuam salútem. Crede cui crédidi. Unde mihi hoc quæris ? Angelus respóndeat. Dic mihi, Angele, unde Maríæ hoc ? Jam dixi, cum salutávi : Ave, grátia plena.

℟. Porta cæli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te resplendet. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. Quia omnis. Glória Patri. Quia omnis.

Pro S. Basilio Magno Ep., Conf. et Eccl. Doct. :

Lectio ix

Basilíus, nóbilis Cáppadox, Athénis, una cum Gregório Nazianzéno ejus amicíssimo, sæculáribus lítteris, deínde in monastério sacris mirabíliter erudítus, eum brevi cursum fecit ad omnem doctrínæ et morum excelléntiam, ut inde Magni cognómen invénerit. Ad prædicándum Jesu Christi Evangélium in Pontum accersítus, eam provínciam ad viam salútis revocávit; mox ab Eusébio Cæsaréæ epíscopo ad erudiéndam eam civitátem adjútor adhibétur, in cujus locum póstea succéssit. Is Fílium Patri consubstantiálem esse in primis defendit, ac Valéntem imperatórem sibi irátum et exsílium minitántem, miráculis ádeo flexit, ut a senténtia discédere coégerit. Abstinéntia et continéntia fuit admirábili; in oratióne assíduus, in ea sæpe totam noctem consumébat. Monastériis exstrúctis, ita monachórum institútum temperávit, ut solitáriæ atque actuósæ vitæ utilitátes præcláre simul conjúngeret. Multa erudíte scripsit; ac nemo, teste Gregório Nazianzéno, sacræ Scriptúræ libros vérius aut ubérius explicávit. Obiit Kaléndis Januárii.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Beáta es, María, * quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per.

Et fit Com. S. Basilii Magni :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Basílii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

IN II VESPERIS

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. O beáta Virgo María : tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio seq. Festi Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Da Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, sanctis Martýribus tuis Vito, Modésto atque Crescéntia intercedéntibus : supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte profícere ; ut, prava despíciens, quæcúmque recta sunt, líbera exérceat caritáte.

Deinde S. Basilii:

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Basíli, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit et Oratio Exáudi, ut supra.

DIE 27 JUNII

BB. MARIÆ MAGDALENÆ FONTAINE et TRIUM SOC. EJUS

VIRGINUM ET MARTYRUM

Duplex

IN I VESPERIS

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Magnif. Ant. Prudéntes Vírgines, * aptáte vestras lámpades : ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

Oratio

Deus, qui beatárum Vírginum tuárum, Maríæ Magdalénæ ejúsque Sociárum, exímiam in sublevándis paupéribus caritátem martýrii glória coronáre dignátus es : præsta, quǽsumus ; ut, ipsis intercedéntibus, tua nos quoque caritáte firmátos, a te advérsitas nulla sejúngat. Per Dñ.

Et fit Com. præced. Ss. Joannis et Pauli Mm. :

Ant. Isti sunt duæ olívæ, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum ; habent potestátem cláudere cælum núbibus et aperíre portas ejus, quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Quǽsumus, omnípotens Deus : ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit ; quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános.

Deinde Com. Octavæ S. Joannis Baptistæ :

Ant. Puer qui natus est nobis, plus quam prophéta est : hic est enim, de quo Salvátor ait : Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum ; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Sæculo décimo octávo fere ad éxitum vergénte, in immáni et ímpia seditióne gállica, a Terróre nuncupáta, Atrebaténsi in civitáte atque in religiósa domo, quam, in vivis adhuc agéntes et operántes, sanctus Vincéntius a Paulo ejúsque diléctа discípula, sancta Ludovíca de Maríllac, erigéndam curáverant, commúnem vitam ducébant quátuor a Caritáte Soróres. Hæ sunt : María Magdaléna Fontaine, María Francísca Lanel, Terésia Fantou et Joánna Gérard. Civíles inter tumúltus et perícula impendéntia, ipsæ sollícitæ semper fuérunt de curis ac solátiis erga egénos et ægrótos adhibéri consuétis, immo constántius et alácrius in hoc offício recte obeúndo insístere perrexérunt. Quare multam laudem apud cives adéptæ sunt, et públicam æstimatiónem jure meritóque sibi comparárunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

Admónitæ ut própriæ salúti consúlerent et tutiórem in locum se recíperent, ne páuperes desérerent, constánter recusárunt. Mense Februário, anno millésimo septingentésimo nonagésimo quarto, post iterátas inquisitiónes, inopináto comprehénsæ et adáctæ ad jusjurándum quod libertátis et æqualitátis vocabátur, impávidæ vírgines illud præstáre noluérunt, ideóque in cárcerem conjéctæ sunt, ubi in levámen et solátium concaptivórum libentíssime caritátis apostolátum exércent. Cameracénsem in civitátem dedúctæ, in judícium rapiúntur, ac de juraménto præstándo dénuo atque instánter rogátæ, dénegant júgiter, eáque de causa íllico morte damnántur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus,

Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Ad eam sancte subeúndam, miro spíritus fervóre sese parárunt. Quare rosárium et laudes Vírginis recitántes et quasi triúmphum agéntes, supérno gáudio perfúsæ, hymnum Ave, maris stella concinébant. Ante carníficis tabulátum, áltera post álteram, læto ánimo, collum ultro secúri porrigéntes, die vigésima sexta Júnii ad cæléstis Sponsi ampléxum convolárunt. Postréma diríssimi supplícii víctima fuit præfáta María Magdaléna, domus Atrebaténsis antístita, quæ, astánte pópulo, tunc insígne prótulit vaticínium, scílicet, se suásque sodáles últimas fore patíbuli hóstias : quod vaticínium probávit evéntus. Gloriósas has quátuor vírgines, christiánæ fortitúdinis spectáculum præbéntes, Benedíctus Papa décimus quintus, sexto Pontificátus anno, Beatórum catálogo accénsuit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

Sæculo décimo octávo fere ad éxitum vergénte, in immáni et ímpia seditióne gállica, a Terróre nuncupáta, Atrébati commúnem vitam ducébant quátuor a Caritáte Soróres. Hæ sunt : María Magdaléna Fontaine, María Francísca Lanel, Terésia Fantou et Joánna Gérard. Civíles inter tumúltus sollícitæ semper de curis ac solátiis erga egénos et ægrótos adhibéri consuétis, immo constántius et alácrius in hoc offício recte obeúndo insístere perrexérunt. Admónitæ ut própriæ salúti consúlerent et tutiórem in locum se recíperent, ne páuperes desérerent, constánter recusárunt. Anno millésimo septingentésimo nonagésimo quarto, inopináto comprehénsæ et adáctæ ad jusjurándum quod libertátis et æqualitátis vocabátur, impávidæ vírgines illud præstáre noléntes, in cárcerem conjéctæ sunt. Camerácum dedúctæ, in judícium rapiúntur, ac morte damnántur. Ante carníficis tabulátum, læto ánimo, collum ultro secúri porrigéntes, die vigésima sexta Júnii ad cæléstia Sponsi ampléxum convolárunt. Postréma víctima fuit præfáta María Magdaléna, quæ, astánte pópulo, tunc insígne prótulit vaticínium, scílicet, se suásque sodáles últimas fore patíbuli hóstias : quod vaticínium probávit evéntus. Gloriósas has vírgines, Benedíctus Papa décimus quintus Beatórum catálogo accénsuit.

Te Deum laudámus.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile est regnum cælórum thesáuro, de Communi non Virg. cum ℟℟. de Comm. Virg. ibidem notatis.

AD LAUDES

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Bened. Ant. Prudéntes Vírgines, * aptáte vestras lámpades : ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

Oratio

Deus, qui beatárum Vírginum tuárum, Maríæ Magdalénæ ejúsque Sociárum exímiam in sublevándis paupéribus caritátem martýrii glória coronáre dignátus es : præsta, quǽsumus ; ut, ipsis intercedéntibus, tua nos quoque caritáte firmátos, a te advérsitas nulla sejúngat. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. S. Joannis Baptistæ :

Ant. Apértum est os Zacharíæ, et prophetávit dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum ; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

IN II VESPERIS

Fit a Capit. de seq. Festo S. Irenæi Ep. et Mart.

Et fit Com. Bb. Vv. : Ant., ℣. et Oratio Deus, qui beatárum, ut supra 64

Deinde Com. Octavæ S. Joannis :

Ant. Puer qui natus est nobis, plus quam prophéta est : hic est enim, de quo Salvátor ait : Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Iste puer et Oratio Deus, qui præséntem, ut supra 64

FESTA JULII

DIE 3 JULII

(d. a. ex 2 huj.)

BEATI PETRI A LUXEMBURGO

CONFESSORIS

Duplex (m. t. v.)

In II Vesp. præced. Festi Visitationis B. Mariæ Virg. fit Com. seq. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui beátum Confessórem tuum Petrum sanctitátis splendóre et miraculórum glória decorásti : concéde propítius ; ut, qui ejus implórant auxílium, méritis ipsíus petitiónum suárum salutárem consequántur efféctum.

Deinde S. Leonis II Papæ et Conf. (Semid.) :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Leónem Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Petrus, ab orígine patérna Luxemburgénsis dictus, paréntes hábuit ex imperiáli et regáli stirpe prodeúntes, Guidónem de Lutzelbúrgo, castellánum Insulénsem et topárcham Armentariánum, cómitem Sancti Pauli in Picárdia, et dóminam Mathíldem de Castiglióne, quibus natus est Línazi in Lotharíngia anno millésimo trecentésimo sexagésimo nono. Angélicam in carne nactus índolem, annis infans, ánimo vir, super senes intélligens, ab omni via mala prohíbuit pedes suos, et jam septénnis virginitátem Deo vovísse tráditur. Vírgini Deíparæ contínuum præstábat famulátum, tenérrimo erga passiónem Dómini tenebátur affectu. Décimum annum agens, ut erat ingénio præcox, Lutétiam Parisiórum ad litterárum et juris stúdia missus est; et, licet magnam diéi noctísque partem in oratióne Deo vacáret, Deo præceptóre usus magnos fecit in omni sciéntia progréssus. Ætátem mente et móribus longe tránsiens, a Cleménte dicto séptimo, qui a Gallis, Híspanis et Scotis ut Póntifex agnoscebátur, primum Parísiis canónicus est institútus, post biénnium archidiáconus Carnoténsis, et décimo quinto ætátis anno, quamvis plúrimum rénitens, epíscopus Ecclésiæ Meténsis nominátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Júvenis epíscopus Metas non álio apparátu íngredi vóluit, quam quo Christus Dóminus Hierosólymam ingréssus est, ásino ínsidens. Solémnem statim ómnium órdinum supplicatiónem indíxit, quam ipse totam nudis pédibus obívit, ad opem divínam suo múneri efflagitándam. Diœcésis suæ tunc lustratiónem suffragáneo epíscopo cómite absólvit, innúmeris ubíque zeli, misericórdiæ et prudéntiæ documéntis relíctis. Sic in juventúte virum perféctum et bonum pastórem se éxhibens, brevi ab eódem Cleménte Pontífice in Cardinálium suórum collégio cooptátus. Metis Aveniónem se cóntulit; atque dignitátibus sibi collátis ádeo non intúmuit, ut flocci pótius ómnia ista pendens, Deo soli vívere, mundi émori studéret. Virgis, fúnibus, cilício, jejúnio carnem domábat, in oratióne plerúmque pernóctans; altíssimæ contemplatiónis et lacrimárum dono insignítus, in éxtasim sæpe raptus, Jesum Christum in cruce pendéntem suis óculis vidére méruit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Quod tunc témporis dirum schisma Ecclésiam lacerábat, pius júvenis tam amáris lácrimis deflébat, quam strénuam óperam cognátus suus imperátor Sigismúndus eídem exstinguéndo póstea dedit. Interim tum e maceratióne et castigatióne córporis, tum e dolóre cordis, tum e desidério cæléstis pátriæ in febrem íncidit; qua lente consúmptus Villæ Nóvæ trans Rhódanum ætátis anno duodevigésimo placidíssima morte migrávit ad Dóminum, Avenióne in cœmetério sancti Michaélis sepúltus; in quo loco suis méritis et intercessióne plúrima mirácula cujúsvis géneris contigísse legúntur. Quibus aliísque rite probátis, ab álio Cleménte séptimo, legítimo Pontífice, anno salútis millésimo quingentésimo vigésimo sexto Beatórum cœtui annumerátus est; Urbánus vero octávus ejúsdem Beáti Offícium et Festum indúlsit. Sacræ ejus relíquiæ Avenióne in Cælestinórum ecclésia diu reverénter asservátæ, dein a reipúblicæ gallicánæ satellítibus profanátæ, dénique partim canónice recógnitæ et in sacéllum seminárii atque in ecclésiam sancti Dionýsii ejúsdem civitátis colléctæ sunt, ubi magna religióne colúntur.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

Pro hoc Festo simplificato :

Lectio ix

Petrus, ab orígine patérna Luxemburgénsis dictus, paréntes hábuit Guidónem de Lutzelbúrgo, castellánum Insulénsem et topárcham Armentariánum, cómitem Sancti Pauli in Picárdia, et Mathíldem de Castiglióne. Angélicam in carne nactus índolem, annis infans, ánimo vir, super senes intélligens, ab omni via mala prohíbuit pedes suos, et jam septénnis virginitátem Deo vovísse tráditur. Vírgini Deíparæ contínuum præstábat famulátum, tenérrimo erga passiónem Dómini tenebátur afféctu. Décimum annum agens, Lutétiam Parisiórum ad litterárum et juris stúdia missus est ; et, licet magnam diéi noctísque partem in oratióne Deo vacáret, Deo præceptóre usus magnos fecit in omni sciéntia progréssus. A Cleménte dicto séptimo, qui a Gallis, Híspanis et Scotis ut Póntifex agnoscebátur, décimo quinto ætátis anno, quamvis plúrimum rénitens, epíscopus Ecclésiæ Meténsis nominátus est. Diœcésis suæ tunc lustratiónem, suffragáneo epíscopo cómite, absólvit, innúmeris ubíque zeli, misericórdiæ et prudéntiæ documéntis relíctis. Póstea ab eódem Cleménte Pontífice in Cardinálium suórum collégio cooptátus, Aveniónem se cóntulit ubi, Deo soli vívere, mundi émori stúduit. Virgis, fúnibus, cilício, jejúnio carnem domábat, in oratióne plerúmque pernóctans ; altíssimæ contemplatiónis et lacrimárum dono insignítus, in éxtasim sæpe raptus, Jesum Christum in cruce pendéntem suis óculis vidére méruit. Interim in febrem íncidit; qua lente consúmptus Villæ Novæ trans Rhódanum ætátis anno duodevigésimo placidíssima morte migrávit ad Dóminum et Avenióne sepúltus est. Ad ejus túmulum plúrima mirácula contigísse legúntur. Quibus aliísque rite probátis, ab álio Cleménte séptimo, legítimo Pontífice, Beatórum cœtui annumerátus est.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sint lumbi, de Communi Confessoris non Pontificis 1° loco.

Pro S. Leone II Papa et Conf. :

Lectio ix

Leo secúndus, Sículus, humánis et divínis lítteris Græce et Latíne doctus, músicis étiam erudítus fuit; ipse enim sacros Hymnos et Psalmos in Ecclésia ad concéntum melíórem redúxit. Probávit acta sextæ sýnodi, quæ, præsidéntibus legátis apostólicæ Sedis, Constantinópoli celebráta est; quam et in Latínum tránstulit. In eo concílio Cyrus, Sérgius et Pyrrhus condemnáti sunt, unam tantúmmodo voluntátem et operatiónem in Christo prædicántes. Vere pater páuperum fuit; non enim pecúnia solum, sed ópera, labóre et consíliis egéntium viduárum et pupillórum inópiam et solitúdinem sublevábat. Obdormívit in Dómino mense sui pontificátus undécimo, quinto Nonas Júlii, anno sexcentésimo octogésimo tértio, sepultúsque est in Basílica sancti Petri.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui beátum Confessórem tuum Petrum sanctitátis splendóre et miraculórum glória decorásti : concéde propítius ; ut, qui ejus implórant auxílium, méritis ipsíus petitiónum suárum salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Leonis :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Leónem Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. (Per Dóminum.)

Deinde Ss. App. :

Ant. Glorióſi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum ; per quos religiónis sumpsit exórdium. (Per Dóminum.)

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio Omnípotens, ut supra.

Et fit Com. seq. diei infra Oct. Ss. App. :

Ant. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio Deus, qui, ut supra.

Deinde S. Leonis :

Ant. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

℣. Amávit et Oratio Gregem, ut supra 70

DIE 19 JULII

S. VINCENTII A PAULO

CONFESSORIS

Duplex majus

Omnia ut in Brev., sed I Vesp. dicuntur integræ cum Com. præced., ut ibid.

In II Vesp. Com. seq. ut infra, S. Hieronymi Æmiliani Conf., ac S. Margaritæ Virg. et Mart.

DIE 20 JULII

SANCTI VULMARI

ABBATIS

Duplex

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit, ut supra.

Oratio C4

INTERCÉSSIO nos, quǽsumus, Dómine, beáti Vulmári Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Et fit Com. S. Hieronymi Æmiliani Conf. (Duplex) :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio

DEUS, misericordiárum Pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti : concéde ; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Margaritæ Virg. et Mart. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

INDULGÉNTIAM nobis, quǽsumus, Dómine, beáta Margaríta Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

VULMÁRUS, regnánte Dagobérto, in agro Boloniénsi christiánis et ínclytis paréntibus natus est. Relícta cónjuge et pátria, in Altimonténse monastérium se cóntulit, ubi, cum ignótus esset, oblátam sibi boum pascendórum, lignorúmque fratrum úsibus vehendórum curam suscépit. Quo múnere strénue ac humíliter perfúnctus, abbátis jussu litterárum stúdio addíctus est atque ad clericálem órdinem evéctus. Nihil tamen de prístinæ humilitátis et piórum officiórum exercítiis remíttens, amplióribus in dies virtútum accessiónibus ornabátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

SACÉRDOS factus, advértens sibi plus honóris deférri, doléntibus frátribus, annuénte tamen abbáte, ac benedictióne beáti Autbérti accépta, altíssimam erémum pétiit, eo Flándriæ loco, qui nunc Ecka nuncupátur. Ibi dum tríduo in cava árbore delitéscit impástus, vir quidam pius Dei admónitu vitæ necessária et locum condéndo monastério ei attríbuit ; cui étiam póstea próprium fílium et omnem trádidit hereditátem. Cum autem plúrimi ad virtútum ejus odórem curréntes afflúerent, cœpit signis coruscáre ; quicúmque enim æger ad eum accedébat, sanabátur. Verum, humánæ laudis favóres declínans, divértit in profundióres silvæ recéssus, juxta villam nativitátis suæ, in agro Boloniénsi, ubi tugúrium exstrúxit, et ecclésiam in honórem sanctæ Maríæ Vírginis, et beatórum Petri et Pauli ædificávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

STATIM vero ex his látebris tanta erúpit sanctitátis fama, ut Ceadválla, occidentálium Sáxonum rex, tunc catechuménus, dum Romam pérgeret, ad eum defléxerit quo plénius in fide instituerétur. Cum autem magnus non virórum tantum, sed et mulíerum concúrsus fíeret, duo exstrúxit monastéria : unum viris, quibus ipse præfuit, álterum féminis, quibus neptem sanctæ conversatiónis vírginem præfécit. Tandem, post multas sátanæ insídias, multámque cum carne et mundo colluctatiónem, sénio conféctus óbiit décimo tértio Kaléndas Augústi, anno septingentésimo décimo. Corpus ejus multis clarum miráculis Bolóniæ sepúltum est.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus, de Comm. Abbatum 1º loco.

Pro S. Hieronymo Æmiliano Conf. :

Lectio ix

HIERÓNYMUS, e gente patrícia Æmiliána Venétiis ortus, a prima adolescéntia milítiæ addíctus, difficíllimis reipúblicæ tempóribus Castro novo ad Quarum in móntibus Tarvisínis præfícitur. Arce ab hóstibus capta, ipse in tetérrimum cárcerem detrúditur, a quo beatíssimæ Vírginis ope liberátur. Venétiis cœpit pietátis stúdia impénsius cólere, puerórum præsértim misértus, qui, paréntibus orbáti, per urbem vagabántur, quos in ædes a se condúctas recépit de suo aléndos, et christiánis móribus imbuéndos. Per eos dies Venétias appúlerant beátus Cajetánus et Petrus Caráfa (póstmodum Paulus quartus), qui, Hierónymi spíritu probáto, illum in Incurabílium hospitále adduxérunt, in quo órphanos simul educáret et ægrótis inservíret. Mox, eorúmdem hortátu, in próximam continéntem profectus, Bríxiæ primum, deínde Bérgomi, atque Novocómi orphanotrophía alíaque pia institúta eréxit. Somáschæ demum subsístens, in húmili pago agri Bergoménsis, sedem constítuit novæ congregatiónis, cui proptérea a Somáscha nomen factum, quam sanctus Pius quintus approbávit. Tandem contagióne, dum ægrotántibus inservíret, contrácto morbo, annos natus sex et quinquagínta, pro frátribus ánimam pósuit, anno millésimo quingentésimo trigésimo séptimo.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio C 4

INTERCÉSSIO nos, quǽsumus, Dómine, beáti Vulmári Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Hieronymi Æmiliani :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEUS, misericordiárum Pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti : concéde ; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus.

Deinde S. Margaritæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæréntí bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

INDULGÉNTIAM nobis, quǽsumus, Dómine, beáta Margaríta Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio Intercéssio, ut supra 74

Et fit Com. seq. Festi S. Praxedis Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

EXÁUDI nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Praxédis Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu.

Deinde Com. S. Hieronymi Æmiliani :

Ant. Euge, ℣. Amávit eum et Oratio Deus, misericordiárum Pater, ut supra 74

FESTA AUGUSTI

DIE 9 AUGUSTI

S. JOANNIS MARIÆ VIANNEY

CONFESSORIS

Duplex (m. t. v.)

IN I VESPERIS

℣. Amávit eum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Suscitábo mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet, et ædificábo ei domum fidélem.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quǽsumus ; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. præced. Festi Ss. Cyriaci, etc. :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi et Smarágdi solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. (Per Dóminum.)

Deinde S. Romani Martyris :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Joánnes María Vianney, in pago Dardilly, Lugdunénsis diœcéseos, piis ruricolis ortus, ab infántia visus est divíno consílio vocátus, ut Apóstoli munus aliquándo expléret. Illi mos erat, cum octénnis oves custodíret, modo puérulos, ad imáginem Deíparæ genufléxos, Rosárium verbo et exémplo edocére, modo, soróri vel álteri commísso grege, secretiórem lucum pétere, quo expedítior oratióni vacáret. Agris coléndis addíctus, æquáles suos, si quid minus casti audíret, suáviter redarguébat, aut seórsum glebas vertens, de cæléstibus meditabátur, et, ne mens inter laborándum a contemplatióne avocarétur, simulácrum quoddam Vírginis præ se collocábat. Páuperum amantíssimus, in delíciis habébat eos turmátim in patris domum dedúcere, cibo donáre, accénso igne refovére, ignáros vero nisi fídei Sýmbolum erudítos non dimittébat. Mirábilis in eo morum candor, constans in Immaculátam Dei Matrem observántia, ardens in Eucharístiam píetas et cultus. Hinc sacérdos palam ab ómnibus prædicabátur futúrus. Lítteris imbuéndus, párocho vici Ecully tráditus est ; sed, ut erat tardióris ingénii, magnas in stúdiis ac pœne insuperábiles expértus est difficultátes. Jejúnio et oratióne divínam opem íterum atque íterum implorávit, et facilitátem discéndi rogatúrus, túmulum sancti Francísci Regis, stipem quæritans, ádiit. Neque eum pia spes feféllit : nam, theologicárum disciplinárum currículo operóse confécto, satis idóneus invéntus est qui sacris initiarétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

In pago Ecully, præeúnte párocho, cujus vicárius renuntiátus fúerat, potióres pastorális perfectiónis gradus attíngere totis víribus conténdit. Elápso triénnio, in vículum Ars, qui non ita multo post diœcési Bellicénsi adscríptus est, quasi Angelus de cælo fuit missus. Illic fídei rudiménta passim ignorabántur ; templum Dei prope desértum squalébat ; obsoléverat Sacramentórum usus ; violátus Dómini dies ; assíduus choreárum ludus et magna in caupónis frequéntia. Animos non despóndit strénuus pastor : oppidános síngulos peramánter invísit, pópulo verba facit tanto erga Deum amóre, ut ipse primus, auditóres deínde lácrimas effúndant ; ecclésiæ suum reddit honórem, frequéntem Eucharístiæ usum ínvehit, pias sodalitátes instáurat. Tutándis puéllis pene derelíctis hospítium, cui nomen a Providéntia, ædíficat, et ópibus intérdum divínitus tráditis ínstruit : pro utriúsque sexus púeris scholas éxcitat, téneram in Immaculátam Vírginem et in beátam Philuménam ánimis pietátem indit, atque id brevi conséquitur, ut felix ille vículus virtútum ómnium palǽstra a cunctis habeátur. Ratus autem pastóris esse flagítia concréditæ plebis expiáre, neque oratiónibus parcébat, neque vigíliis et maceratiónibus. Noctu super nudos ásseres, duas vel tres horas non sine curis dormiébat : ad tres dies haud raro jejúnia protrahébat ; famémque tenuíssimo cibo, sitim autem aquæ cýatho explébat : caténa férrea, cilício, flagris carnem quotídie cruentábat. Eódem faciébat arctíssima ejus paupértas. Si quid obsónii electióris, si quid argénti vel domésticæ supelléctilis habéret, ómnia in páuperes erogábat. Tantam viri Dei virtútem cum Satan ferre non posset, eum calúmniis primum, dein apérto certámine adórtus est ; sed atrocíssimas vexatiónes patiénter tolerábat Joánnes María, qui experiéndo didícerat majóres fíeri diabólicos incúrsus, cum ad pœniténtiæ tribúnal perditíssimi adventárent peccatóres.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

Quod in parœ́cia sua perfécerat, idípsum in finítimis molítus est. Invitabátur enim a curiónibus vicínis ut, missionariórum more, animárum salúti qua concionándo, qua confessiónes excipiéndo consúleret et síngulis præsto semper erat. Quin et stúdio glória Dei incénsus effécit, ut pia Missiónum exercítia in ámplius centum parœ́ciis, constitúto censu perpétuo, institúerit, manípulos messúrus et in iis, quas lustráre ipse non póterat, regiónibus. Inter hæc, Deo servum suum miráculis et charismátibus illustránte, orta est célebris illa peregrinátio, qua, per vicénnium, centum fere míllia hóminum, cujúsque órdinis et ætátis, quotánnis Ars confluxérunt, non solum ex Gálliæ et Európæ, sed étiam Américæ dissitíssimis provínciis. Trahebántur enim, tum stúdio viséndi sacerdótem supérnis donis ditátum, íntimas ánimi scrutántem látebras, futúra prænoscéntem, prodígia plúrima operántem; tum ánimo consíliis ejus uténdi et præsértim cordis sui plagas in pœniténtiæ sacraménto detegéndi. Totus erat Joánnes María in consciéntiis judicándis moderandísque ; quo in múnere, cibi, somni et quiétis ímmemor, septémdecim horas quotídie terébat, nullo ad vacándum die interpósito. Cum autem humíllime de se sentíret, bis sancto fidélium desidério se subdúcere frustra tentávit. Dénique fortis miles pugnándo cécidit ; et labóribus pótius quam sénio consúmptus, mortis suæ prænuntiáto témpore, placidíssime in ósculo Dómini quiévit die quarta Augústi, anno reparátæ salútis millésimo octingentésimo quinquagésimo nono, annos natus tres ac septuagínta. Quem multis clarum miráculis Pius décimus inter Beátos, Pius vero undécimus inter Sanctos cǽlites anno sacro adscrípsit, ejúsque festum ad univérsam Ecclésiam exténdit, anno vero quinquagésimo sacerdótii sui ómnium parochórum cæléstem Patrónum constítuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam, * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 9, 35-38

In illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum et prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

In Matth. 9

Cernis quod æquáliter et villis et úrbibus et castéllis, id est, et magnis et parvis Evangélium prædicáverit, ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater : et hanc esúriem, ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni : et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem et omnem infirmitátem ; ut, quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum signíficat multitúdinem ; operárii autem pauci, penúriam magistrórum. Et, ut apértius loquar, messis multa, omnis turba credéntium est ; operárii autem pauci, et apóstoli, et imitatóres eórum, qui mittúntur ad messem.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Pro Vigilia S. Laurentii Mart. :

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio ix Cap. 16, 24-37

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 32 in Evang.

Quia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri, in vítiis enutrítæ, contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset ; concupíscere, si non posset ? Sed cæléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam, sicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur ; ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

Te Deum laudámus.

Si vero hoc Festum alia die celebrari contigerit, et ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non fuerit, erit sequens

Lectio ix

Et convocátis duódecim discípulis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos, et curárent omnem infirmitátem. Benígnus et clemens Dóminus ac magíster non ínvidet servis atque discípulis virtútes suas. Et sicut ipse curáverat omnem languórem et omnem infirmitátem, Apóstolis quoque suis tríbuit potestátem ut curárent omnem languórem et omnem infirmitátem in plebe.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Ipse est diréctus * divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Oratio

Omnípotens et misericors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quǽsumus ; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Vigiliæ per Ant. et ℣. de Feria occurrenti, ut in Psalt.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris : et, intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem ; perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. (Per Dñ.)

Deinde S. Romani :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Vesperæ de seq. Festo S. Laurentii Mart., Com. præced. :

Ant. Multi credéntium veniébant confiténtes et annuntiántes actus suos.

℣. Justum et Oratio Omnípotens, ut supra.

DIE 25 AUGUSTI

SANCTI LUDOVICI

REGIS, CONFESSORIS

Duplex majus

Omnia ut in Breviario præter ritum.

INDEX

MAJUS

30 S. JOANNÆ DE ARC VIRG., *dupl. II cl.* 7
31 B. MARIÆ VIRG. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS, *dupl. maj.* 18
Fer. V infra Octavam Ssmi Cordis Jesu : EUCHARISTICI CORDIS JESU, *dupl. maj.* 30

JUNIUS

3 S. Clotildis Reginæ, Vid., *dupl* 46
8 S. Medardi Ep. et Conf., *dupl.* 49
14 COM. MIRACULORUM B. MARIÆ VIRG. SUB TITULO CANCELLATÆ, *dupl. maj.*. 54
27 Bb. Mariæ Magdalenæ Fontaine et trium Sociarum ejus Vv. et Mm., *dupl.*. 61

JULIUS

3 B. Petri a Luxemburgo Conf., *dupl.* 65
19 S. VINCENTII A PAULO CONF., *dupl. maj.* 71
20 S. Vulmari Abb., *dupl.* 71

AUGUSTUS

9 S. Joannis Mariæ Vianney Conf., *dupl.* 75
25 S. LUDOVICI REGIS, CONF., *dupl. maj.*. 82

Concordat cum originali.

Insulis, die IV Maji MCML.
P. LESTIENNE

Imprimatur.

Turonibus, die XXVIII Octobris MCML.
† LUDOVICUS-JOSEPHUS
ARCHIEPISC. TURON.

Imprimé en France.

1294-1950. — Turonibus, typis Mame.
DÉPÔT LÉGAL : 4e trimestre 1950.

KALENDARIUM PERPETUUM
IN USUM
DIŒCESIS INSULENSIS

JANUARIUS

3 S. Genovefæ Virg., *dupl.* Com. Oct. S. Joannis Ap. et Ev.
27 B. Joannis Warnestonensis Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct. (*dupl.*).

FEBRUARIUS

1 S. Euberti Ep. et Conf., Civit. Insul. Patroni secundarii, *dupl. maj.* Com. S. Ignatii Ep. et Mart. (*dupl.*).
6 S. Vedasti Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Titi Ep. et Conf. (*dupl.*) ac S. Dorotheæ Virg. et Mart.
7 S. Chrysolii Ep. et Mart., *dupl.* Com. S. Romualdi Abb. (*dupl.*).
13 S. Amandi Ep. et Conf. (d. a. ex 6 huj.), *dupl.*
20 S. Eleutherii Ep. et Conf., *dupl.*

MARTIUS

2 B. Caroli Boni, Comitis Flandriæ, Mart., *dupl.*

APRILIS

10 S. Macarii Ep. et Conf., *dupl.*
16 S. Mariæ Bernardæ Soubirous Virg., *dupl.*

MAJUS

4 S. Godehardi Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Monicæ Vid. (*dupl.*).
5 S. Mauronti Abb., *dupl.* Com. S. Pii V Papæ et Conf. (*dupl.*).
30 S. JOANNÆ DE ARC VIRG., GALLIÆ PATRONÆ SECUNDARIÆ, *dupl. II cl.* Com. S. Felicis I Papæ et Mart.
31 B. M. V. Omnium Gratiarum Mediatricis, *dupl. maj.* Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. (*dupl.*) ac S. Petronillæ Virg.
Feria V infra Octavam Ssmi Cordis Jesu : Eucharistici Cordis Jesu, *dupl. maj.*

JUNIUS

3 S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *dupl.*
8 S. Medardi Ep. et Conf., *dupl.*
14 Commemoratio Miraculorum B. Mariæ Virg., titulo Cancellatæ, *dupl. maj.* Com. S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct. (*dupl.*).

27 Bb. Mariæ Magdalenæ Fontaine et trium Sociarum ejus Vv. et Mm., *dupl.* Com. Oct. S. Joannis Baptistæ.

JULIUS

3 B. Petri a Luxemburgo Conf. (d. a. e 2 huj.), *dupl.* Com. S. Leonis II Papæ et Conf. (*semid.*) et Octavæ Ss. App.

19 S. Vincentii a Paulo Conf., *dupl. maj.*

20 S. Vulmari Abb., *dupl.* Com. S. Hieronymi Conf. (*dupl.*) ac S. Margaritæ Virg. et Mart.

AUGUSTUS

9 S. Joannis Mariæ Vianney Conf., *dupl.* Com. Vigiliæ S. Laurentii ac S. Romani Mart.

25 S. Ludovici Regis, Conf., *dupl. maj.*

SEPTEMBER

5 S. Bertini Abb., *dupl.* Com. S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. (*semid.*).

9 S. Audomari Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Gorgonii Mart.

11 B. M. V. sub titulo de Dunis, *dupl. maj.* Com. Ss. Proti et Hyacinthi Mm.

13 S. Amati Ep. et Conf., *dupl.*

OCTOBER

1 S. Remigii Ep. et Conf., *dupl. maj.*

3 S. TERESIÆ A JESU INFANTE VIRG., GALLIÆ PATRONÆ SECUNDARIÆ, *dupl. II cl.*

5 S. Piati Presb. et Mart. (d. a. e 1 huj.), *dupl.* Com. Ss. Placidi et Soc. Mm.

9 Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm., *dupl. maj.* Com. S. Joannis Leonardi Conf. (*duplex*).

16 S. Mommoleni Ep. et Conf., *dupl.* Com. S. Hedwigis Vid. (*semid.*).

27 Vigilia Ss. Simonis et Judæ App.

28 **B. MARIÆ VIRG., TITULO CANCELLATÆ, CIVIT. ET DIŒC. PATRONÆ AC TITUL. ECCL. CATHEDRALIS,** *dupl. I cl.* cum Octava communi.

29 SS. SIMONIS ET JUDÆ APP. (d. a. e 28 huj.), *dupl. II cl.*

30 De Octava, *semid.*

31 De Octava, *semid.* Com. Vigiliæ Omnium Sanctorum.

NOVEMBER

3 De Octava Omnium Sanctorum, *semid.* Com. Oct. B. Mariæ Virg. Cancellatæ.

4 Octava B. Mariæ Virg. Cancellatæ, *dupl. maj.* Com. S. Caroli Ep. et Conf. (*dupl.*). Oct. Omnium Sanctorum ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.

5 Ss. Reliquiarum quæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur, *dupl. maj.* Com. Oct. Omnium Sanctorum.

6 S. Winnoci Abb., *dupl.* Com. Octavæ.

In Ecclesiis consecratis, **DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ,** *dupl. I cl.* cum Oct. communi. Com. S. Winnoci Abb. (*dupl.*).

7 S. Willibrordi Ep. et Conf., *dupl.* Com. Oct.

In Ecclesiis consecratis, Com. Oct. Omnium Sanctorum et Oct. Dedicationis.

8 Octava Omnium Sanctorum, *dupl. maj.* Com. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.

In Ecclesiis consecratis, Com. Oct. et Ss. Quatuor Coronatorum.

9 DEDICATIO ARCHIBASILICÆ SSMI SALVATORIS, *dupl. II cl.* Com. S. Theodori Mart.

10 S. Andreæ Avellini Conf., *dupl.* Com. Ss. Tryphonis et Soc. Mm.

In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ et Ss. Tryphonis et Soc. Mm.

11 S. Martini Ep. et Conf., *dupl. maj.* Com. S. Mennæ Mart.

In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ et S. Mennæ Mart.

12 S. Martini I Papæ et Mart., *semid.*

In Ecclesiis consecratis, Com. Octavæ.

13 S. Didaci Conf., *semid.*

In Ecclesiis consecratis, Octava Dedicat. propriæ Ecclesiæ, *dupl. maj.* Com. S. Didaci Conf. (*semid.*).

21 PRÆSENTATIO B. M. V., *dupl. II cl.*

DECEMBER

1 S. Eligii Ep. et Conf., *dupl. maj.*

14 S. Folquini Ep. et Conf., *dupl.* Com. Oct.

16 S. Everardi Conf., *dupl.* Com. S. Eusebii Ep. et Mart. (*semid.*).

17 Ss. Nicasii et Soc. Mm. (d. a. e 14 huj.), *dupl.*

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS
INSULENSIS

PARS AUTUMNALIS

FESTA SEPTEMBRIS

DIE 5 SEPTEMBRIS
SANCTI BERTINI
ABBATIS

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Bertíni Abbátis solémnitas lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. (Semiduplex) :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus : ut beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Bertínus Constántiæ ad Rhenum natus, paréntibus et pátria relíctis, in monastério Luxoviénsi sub beáto Eustásio adhuc puer monásticam vitam proféssus est. Inde cum sanctis Mommoléno et Ebertrámno venit ad sanctum

Audomárum, epíscopum Teruanénsem, quos beátus póntifex gaudens excépit, grátias agens Deo quia tales ad se, qui Evangélium prædicárent, míserat adjutóres. Súmptibus Adroáldi ædificáto in villa Síthiu monastério, Audomárus primo Mommolénum, ac deínde Bertínum præfécit abbátem, qui brevi témporis spátio centum et quinquagínta mónachos coadunávit, quibus verbo et exémplo prælúxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Cóntigit póstea ut Heremárus vir nóbilis villam suam Wormolténsem in Flándria tráderet Bertíno, qui mox illuc misit quem ab infántia erudíerat sanctum Winnócum et nonnúllos álios, ut monastérium constrúerent, congregárent convéntum, et hospítia præparárent paupéribus, ejusdémque loci Winnócum abbátem esse vóluit. Walbérto cómiti auctor fuit Bertínus ut in Luxoviénsi cœnóbio mónachus fíeret. Divínitus de óbitu sancti Audomári mónitus, statim assúmptis secum frátribus proféctus est ad villam Wavrántis, unde corpus sancti antístitis cum psalmis, hymnis et cánticis ad basílicam sanctæ Maríæ in Síthiu sepeliéndum dedúxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

Exáctis in regímine quinquagínta septem annis, Bertínus Rigobértum sibi successórem instítuit, quod vitæ supérerat in rerum divinárum meditatióne consumptúrus. Méritis onústus ábiit ad Dóminum, anno círciter septingentésimo nono, et in Sithiénsi cœnóbio sepúltus est. Dagobérto tértio regnánte, Elefrídus abbas basílicam ampliávit, atque juxta Bertíni sepúlcrum sub ejus invocatióne altáre collocávit. Váriis signis Deus Sanctum suum mirificávit, inter quæ memóriæ tráditur íntegra sanátio Adalæ, Flandrórum comitíssæ, quæ gravi infirmitáte laborábat.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

In Ps. 118 sermo 8 post init.

Ecce nos ómnia derelíquimus, et secúti sumus te. Hoc est, non quæsívimus quæ sǽculi sunt, non quæsívimus partem de possessiónibus, sed te elégimus portiónem. Relíquisti ergo ómnia, Petre, quæ habébas ; unde habes quod habére te dicis ? Surgit claudus, et sono tui sermónis erígitur : sanitátem áliis donas, qui indigébas ipse tuæ salútis auxílio. Relíquisti ergo quæ habébas, et cepísti quæ non habébas. Christus tibi pórtio, Christus tibi posséssio est : illíus nomen tibi muníficum, illíus nomen tibi est fructuósum, illíus nomen tibi tribúta depéndit, et bona tribúta, non pecúniæ, sed grátiæ.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Quicúmque relíquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut fratres, aut soróres, céntuplum accípiet in hoc sæculo, et vitam ætérnam possidébit. Multos quidem in hoc sæculo, qui sua paupéribus donavérunt, uberióre thesáuro locupletátos fuísse cognóvimus. Est pulchérrimus locus, ut étiam ad misericórdiam provocéntur. Sed non debent a Dómino sæculárem hujúsmodi exígere mercédem, nec speráre quæ mundi sunt : sed magis quia iis qui ómnia relíquerint, Deus pórtio est. Ipse est útique merces perfécta virtútum, qui non céntupli enumeratióne, sed perféctæ plenitúdinis æstimatióne censétur. Ego, inquit, Deus tuus sum. Non dixit : Ero ; sed : Jam sum, jam inhábito, jam possídeo.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Pro S. Laurentio Justiniano Ep. et Conf. :

Lectio ix

Laurentius, ex illústri Justinianórum família Venétiis natus, miro affligéndi córporis stúdio ab adolescéntia cláruit, et, mundi illécebris paratísque a matre núptiis spretis, in congregatiónem canonicórum sancti Geórgii in Alga recéptus est. Ab Eugénio quarto pátriæ epíscopus renuntiátus, consuéta vivéndi forma nihil ádmodum immutáta, páuperum necessitátes subleváre, étiam ære se aliéno gravans, numquam déstitit, divínæ fidens Providéntiæ, quæ inopinátis subsídiis illi semper ádfuit. Plura vírginum monastéria excitávit, vel ad perfectióris vitæ normas compósuit. Christiánæ humilitátis exémplar exímium, ecclesiásticæ disciplínæ ac móribus reformándis maximópere stúduit, dignus qui a summis Pontifícibus glória præsulum vocarétur, et primus Venetiárum patriárcha, e Gradénsi civitáte transláto título, renuntiarétur. Lacrimárum, prophetíæ, et curatiónum dono insígnis, libros étiam cæléstí doctrína ac pietáte conspícuos, grammáticæ pene rudis, conscrípsit. Obdormívit in Dómino die octáva Januárii. Ejus vero festum hac die recólitur, qua vir Dei ad episcopálem cáthedram evéctus est.

Te Deum laudámus.

Sicubi vero dicenda non sit ix Lectio alicujus Officii commemorati, erit sequens

Lectio ix

HABES, homo, inter multa propósita étiam hujúsmodi portiónem. Propósuit tibi Dóminus in portióne possessiónes, in portióne aurum, in portióne argéntum, in portióne honóres, in portióne nobilitátem, propósuit étiam in portióne seípsum; habes ígitur plúrimas portiónes, élige quam putas : non te númerus pertúrbet, sed éxcitet grátia : non te labor avértat, sed fructus invítet.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

ECCLÉSIAM tuam, Deus, beáti Bertíni Abbátis solémnitas lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Laurentii Justiniani :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælos cóndidit ore, manu.

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Bertíni Abbátis solémnitas lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Laurentii :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

DIE 9 SEPTEMBRIS

SANCTI AUDOMARI

EP. ET CONF.

Duplex

In II Vesp. præced. Festi Nativitatis B. Mariæ Virg. fit Com. seq. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Audomári Confessóris tui atque Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ ita de ejus natalítio semper gaudére ; ut, apud misericórdiam tuam, et suffrágiis ejus protegámur, et méritis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Audomárus, prope Constántiam ad Rhenum natus, defúncta matre, Priúlphum patrem indúxit ut secum Luxóvii sub sancto Eustásio abbáte, mónachus fíeret. Ibi per multos annos vitam duxit sanctam, mente et córpore castus, húmilis, obédiens, mansuétus, in divínis lítteris erudítus, caritáte, abstinéntia, vigilíisque conspícuus. Vocánte Dagobérto rege, et adniténte sancto Achário, Novioménsi et Tornacénsi pontífice, datus est epíscopus Morínis, quos prius per sanctos Victóricum et Fusciánum convérsos ad fidem, sed magna ex parte relápsos, multo labóre ad veram pietátem redúxit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Postquam vero Morínos ad Dóminum adduxísset, incúbuit ut adveniéntes ad se úndique pópulos fídei lúmine illustráret ; e quibus plures in Dei nómine váriis languóribus liberávit. Spíritu prophetíæ divinísque revelatiónibus, grátia quoque miraculórum effúlsit. Ipso suadénte, Adroáldus villam Síthiu beáto Bertíno dedit ut ædificáret monastérium, quod póstea Bertinénse dictum fuit. Ut autem patiéntia ejus probarétur, sénio conféctus, oculórum usu orbátus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Ægritúdine tandem conféctus, eo die quo erat ex hac vita discessúrus, e léctulo in quo jacébat surréxit et ecclésiam ádiit. Ibi, cum pronus coram altári pro grege suo bonus pastor orásset, devotíssime Viáticum córporis et sánguinis Jesu Christi suscépit. Tunc ad suos última exhortatiónis hábuit verba, et elevátis óculis in cælum, trémulis mánibus eis benedíxit. In léctulum revérsus ánimam Deo réddidit, anno círciter sexcentésimo septuagésimo. Sepúltus est a sancto Bertíno in basílica beátæ Maríæ in Síthiu, quæ póstea fuit cathedrális, ejus nómine nuncupáta.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 24, 42-47

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi

Sermo de Confessoribus

Domínicus sermo, quem debémus omnes non solum studióse, verum étiam sapiénter audíre, cui nos opórtet humíliter ac delectabíliter obedíre, moderatiónis suæ tenens ubíque tempériem, ut nec óvibus desint pábula, nec pastóribus aliménta, quædam speciáliter solis prǽcipit nobis, quædam vero generáliter et nobis et vobis. Nobis namque (id est, servis, quos pater ille famílias, rerum ómnium Dóminus, ad hoc in sua magna domo constítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ ministrémus), speciáliter injúngitur sanctæ prædicatiónis offícium : generáliter vero et nobis et vobis salutáris indícitur obediéntia mandatórum.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii

Servórum ígitur, quos pópulo suo præpósuit Dóminus, speciáliter volens offícium demonstráre, ait, quod ex Evangélio modo audívimus : Quis, putas, est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam ut det illis in témpore trítici mensúram ? Beátus ille servus, quem cum vénerit Dóminus invénerit ita faciéntem. Quis est iste Dóminus, fratres ? Christus sine dúbio, qui suis discípulis ait : Vos vocátis me Magíster et Dómine, et bene dícitis ; sum étenim.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Gorgonio Mart. :

Lectio ix

GORGÓNIUS, Nicomedíæ natus, Diocletiáni imperatóris cubiculárius, Dorótheo colléga suo adjutóre, réliquos omnes cubículi minístros ad Christi fidem perdúxit. Utérque autem cum vidísset quodam die Mártyrem coram Diocletiáno acerbíssime cruciári, ejus exémplo martýrii amóre incénsus est. Itaque ambórum hæc vox erúpit : Quid est, imperátor, quod hujus condemnáta senténtia, quæ nobis cum eo commúnis est, unum illum punis ? Istíus nostra étiam est fides, idem propósitum. Eos ígitur vinctos imperátor flagéllis concídi jubet, ita ut toto córpore cutis dirumperétur, et in plagas acétum infúndi sale permíxtum ; mox revínctis in cratícula súbjici ímperat vim candéntium carbónum. Dénique várie torti, suspéndio necáti sunt. Ac sancti Gorgónii corpus aliquándo Romam portátum, inter duas Lauros via Latína sepúltum, póstea a Gregório quarto Summo Pontífice in basílicam Príncipis Apostolórum translátum est.

Te Deum laudámus.

Si autem ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, erit sequens

Lectio ix

QUÆ est étiam hujus Dómini família ? Nimírum illa est, quam ipse Dóminus de manu inimíci redémit, et suo domínio mancipávit. Hæc família est sancta Cathólica Ecclésia, quæ per orbem terræ copiósa fertilitáte diffúnditur, et redémptam se pretióso sui Dómini sánguine gloriátur. Fílius enim hóminis, sicut ipse ait, non venit ministrári, sed ministráre, et dare ánimam suam redemptiónem pro multis. Ipse est étiam pastor bonus, qui ánimam suam pósuit pro óvibus suis. Grex ergo boni pastóris, ipsa est família Redemptóris.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Audomári Confessóris tui atque Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ ita de ejus natalítio semper gaudére ; ut, apud misericórdiam tuam, et suffrágiis ejus protegámur, et méritis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. S. Gorgonii :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Sanctus tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne lætíficet : et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

IN II VESPERIS

Fit a Capit. de seq. Festo S. Nicolai de Tolentino.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Deus, Sanctórum, ut supra.

DIE 11 SEPTEMBRIS

IN FESTO

B. MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

DOMINÆ NOSTRÆ DE DUNIS

Duplex majus
(Dunkercæ
Duplex II class.)

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virg. præter seq.

IN I VESPERIS

℣. Dixit, et stetit spíritus procéllæ. ℟. Et dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Ad Magnif. Ant. Virgo parens Christi * benedícta, Deum genuísti ; fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris.

Oratio

Deus, qui venerándam Deíparæ Vírginis imáginem clarificáre dignátus es, eámque opíferam nautis in mari laborántibus effecísti : da, quǽsumus, pópulo tuo per æstuósas hujus sǽculi undas navigánti ; eádem beatíssima Vírgine intercedénte, ad portum salútis ætérnæ felíciter perveníre. Per Dóminum.

Deinde fit Com. S. Nicolai de Tolentino :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit, ut supra 16

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Nicolái Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. (Per Dóminum.)

Postea Ss. Proti et Hyacinthi Martyrum :

(Dunkercæ, hæc ultima Com. omittitur.)

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Beatórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio : et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Cum anno millésimo quadringentésimo tértio, jussu Philíppi Audácis, Burgúndiæ ducis et Flándriæ cómitis, urbis Dunkércæ mœnia rursus ædificaréntur, juxta fontem aquæ dulcis, non longe a líttore marítimo scaturiéntis, operárii, terram effodiéntes, parvam státuam reperérunt, quæ beátæ Maríæ Vírginis effígiem Fílium suum Jesum in ulnis gestántis repræsentábat. Quæ státua, cum *ballívo* esset deláta et ab eo pie excépta, mox ipso in loco ædificátum est sacéllum, in quo tantam veneratiónem signum obtínuit, ut a Dunkercánis tamquam præsídium et tutéla civitátis haberétur sub título Dóminæ nostræ de Fonte, qui póstea in álium commutátus fuit, nómine tunc desúmpto e vicínis arénæ collículis, seu, ut ajunt, Dunis, qui secus littus maris extendebántur. Ad implorándam vero Dei Genitrícis opem máxime confluébant piscatóres et náutici viri, qui, quotidiánis maris perículis obnóxii, beátæ Maríæ, quæ stella maris dícitur, patrocínium supplíciter efflagitábant.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

Tanta ígitur erat Dunkercanórum in beátam Dei Genitrícem devótio, ut vix quidquam ex ea diminútum fúerit, cum jubénte Ludovíco décimo quarto, Galliárum rege, intra munitiónes urbis inclúsum est sacéllum. Cum enim ejus accéssu fidéles prohiberéntur, áttamen quantum póterant, ipsi appropinquántes, ante civitátis mœnia, flexis génibus orábant, et ea quidem pietáte ut diléctam sanctíssimæ Patrónæ imáginem intuéri videréntur.

Immo, cum labénte sæculo décimo octávo, per totam Gálliam advérsus sanctos Dei persecútio desævíret, et furéntibus eódem témpore bellis, urbs Dunkérca obsiderétur, cives, apérta fidúcia ad suam protectrícem recurréntes, ab ea se liberátos esse mox cognovérunt et cæléstem liberatrícem scriptis et vérsibus celebrárunt. Eo enim die hostes profligáti et fugáti fúerant, quo, recurrénte festo Nativitátis Deíparæ, secúndum morem ab antiquíssimis tempóribus recéptum, solemnióres supplicatiónes ad sanctíssimam Dei Genitrícem, non obstánte témporum impietáte, incépta fúerant.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem ? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

EVÉRSO tunc témporis templo, non depériit imágo veneránda, sed in tuto collocáta, mox, vigínti interjéctis annis, fidélium pietáti réddita est, et in novo sacéllo expósita, ubi ipsa cultum in dies majórem accépit. Innúmera autem sunt benefícia, quæ, tam pacis quam belli témpore, tam animábus quam corpóribus sublevándis aut curándis, devótis cliéntibus concéssit Mater benigníssima, uti testántur imágines et marmórei lápides, pariétibus sanctuárii appósiti, nec non cérei júgiter accénsi, præsértim vero lígneæ aut argénteæ naves, quibus náutici viri gratum ánimi sensum significánter éxprimunt. Insuper ad totam Dunkércæ circumfúsam regiónem ita se exténdit beátæ Maríæ de Dunis protéctio, ut non solum civitátis ipsíus, sed totíus Flándriæ marítimæ Patróna habéri cœperit. Immo, cum sacræ imáginis fama lóngius adhuc diffunderétur, a multis úndique peregrínis visitáta, tandem ab ipsis Románis Pontifícibus honoráta est et donis plúrimis ornáta. Quaprópter, anno millésimo nongentésimo tértio, quinto post imáginis inventiónem sǽculo, Leónis Papæ décimi tértii nómine et auctoritáte, Cameracénsis epíscopus, magno sacrórum Antístitum comitánte cœtu, in ipso civitátis foro, plaudénte imménsa hóminum multitúdine, venerándam Dei Genitrícis státuam diadémate pretiosíssimo solémniter coronávit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno Homilia in Evang. Loquénte Jesu, de Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

Pro Ss. Proto et Hyacintho Mm. :

Lectio ix

Protus et Hyacínthus fratres, beátæ Eugéniæ Vírginis eunúchi, una cum illa ab Héleno epíscopo baptizáti, ac stúdiis déditi divinárum litterárum, aliquámdiu in Ægýpto inter ascétas mira humilitáte et vitæ sanctitáte vixérunt. Sed póstea, sanctam Vírginem Eugéniam Romam prosecúti, Galliéno imperatóre, in Urbe propter christiánæ fídei professiónem comprehénsi sunt. A quibus cum nullo modo impetrári posset ut, christiánam religiónem deseréntes, deos cólerent, acérbis verbéribus cæsi, secúri feriúntur tértio Idus Septémbris.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. In me grátia omnis viæ et veritátis. ℟. In me omnis spes vitæ et virtútis.

Ad Bened. Ant. Ad te, * o sancta Dei Génitrix, clamávimus, et per te venit Dómini auxílium nobis.

Oratio

Deus, qui venerándam Deíparæ Vírginis imáginem clarificáre dignátus es, eámque opíferam nautis in mari laborántibus effecísti : da, quǽsumus, pópulo tuo per æstuósas hujus sǽculi undas navigánti; eádem beatíssima Vírgine intercedénte, ad portum salútis ætérnæ felíciter perveníre. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemorátio Ss. Mm.:

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Beatórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio: et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesp.

℣. Dixit, et síluit spíritus procéllæ. ℟. Et dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Ad Magnif. Ant. Virgo parens Christi * benedícta, Deum genuísti; fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris.

Oratio Deus, ut supra.

Non fit Com. Festi seq. Ss. Nominis Mariæ.

DIE 13 SEPTEMBRIS

SANCTI AMATI

EP. ET CONF.

Duplex

In II Vesp. præced. Festi Ssmi Nominis Mariæ fit Com. seq.:

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio C2

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Amáti Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Amátus, paréntibus pietáte conspícuis ortus, et ab ineúnte ætáte ipsórum cura educátus, ita in lítteris et virtúte profécit, ut magnum nomen, quod humilitáte tegébat, sibi licet invíto comparáverit : unde, defúncto sancto Emmóne, ecclésiæ Senonénsi præfici méruit. Tantæ dignitáti ímparem se exístimans, onus ipsis angélicis húmeris formidándum diu recusávit. Sed tandem, ne vocánti Deo reluctári viderétur, assénsum electióni præbére coáctus est. Exáctis in pastoráli sollicitúdine áliquot annis, accusátus falso apud regem Theodóricum admíssæ in eum perfídiæ, instigántibus quibúsdam áulicis, causa non discússa, Perónæ, in monastério cui sanctus Abbas Ultánus præerat, exsuláre jussus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

POST óbitum beáti Ultáni, tráditus est Amátus fámulo Dei Maurónto, qui eum custódiæ in Broilénsi monastério mancipáret. Sanctum præsulem omni obséquio et observántia cóluit Mauróntus dictóque monastério præfécit, omnis virtútis vivum et perfectíssimum exémplar. Amátus, ut oratióni et collóquiis divínis libérius intérdiu vacáret, juxta basílicam monastérii céllulam sibi ædificári præcépit. Tandem méritis plenus, migrávit ad Dóminum, anno sexcentésimo nonagésimo. Corpus ejus Bróili in ecclésia sancti Petri primo sepúltum est, et post triénnium in ecclésia sanctæ Maríæ Vírginis, eódem in monastério depósitum.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

THEODÓRICUS, de sancti Amáti innocéntia cértior factus, et miraculórum frequéntia, quæ ad ejus túmulum Deus operabátur, permótus, Bróilum se contulísse dícitur pro illátis a se viro Dei injúriis véniam precatúrus et quasdam possessiónes ad fratrum alimóniam oblatúrus. Amáti corpus anno octingentésimo septuagésimo e Bróilo Nortmannórum metu Duácum translátum est. Paucis vero interjéctis annis, tutióris præsídii causa, Suessiónes delátum fuit, unde Duácum tandem relátum est, et in ecclésia collegiáta, quæ deínceps sancti Amáti nomen obtínuit, collocátum. Anno autem millésimo sexcentésimo octogésimo séptimo, os insígne a Capítulo sancti Amáti Duacénsis concéssum, solémni supplicatióne ab ecclésia Senonénsi recéptum est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 24, 42-47

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 76 in Matthǽum

Proptérea dicit : Qua hora non exspectátis véniet, ut sollícitos reddat et virtútis coléndæ studiósos ; illud autem sibi vult, si scirent pleríque hómines quandónam sint moritúri, diligéntiam suam circa illam horam exhibérent. Ne ígitur de illa sola sollíciti essent, neque commúnem illam diem, neque cujúsque horam declarávit, ut semper illam exspectárent, sempérque eódem stúdio teneréntur : ídeo cujúsque vitæ finem incértum relíquit. Deínde apérte se Dóminum vocat, neque umquam ita clare díxerat. Hic autem vidétur mihi désides cárpere, qui non tantam ádhibent ánimæ tuéndæ curam, quantam circa pecúnias monstrant ii qui fures métuunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas paradísi coronávit eum.

Lectio viii

DEÍNDE, quia judícii mentiónem fecit, ad doctóres demum sermónem convértit, ac de supplíciis et prǽmiis verba facit ; et, cum primo bonos memorásset, in peccatóres désinit, ac timórem incútiens, finem dicéndi facit. Quis ergo est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus ejus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore ? Ideo ambo ab illo requírit, et prudéntiam et fidem. Nam peccátum ab améntia oríginem ducit. Fidélem illum vocat, quia ex rebus Dómini nihil vel in rem suam convértit, vel pérperam expéndit; prudéntem vero, quia sibi commíssa, ut par erat, administrávit ; utráque enim re nobis opus est, ne scílicet quæ Dómini sunt nobis rapiámus, et ut opportúne illa dispensémus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

NAM si álterum absit, álterum cláudicat. Si fidélis sit, nec furétur, sed supérflue ad nihil útile expéndat bona, magnum est peccátum : si sciat recte dispensáre, sed furétur, rursus non leve crimen est. Hæc audiámus qui pecuniósi sumus. Non enim doctóres tantum allóquitur, sed étiam dívites. Utrísque enim divítiæ concréditæ sunt; doctóribus illæ quæ magis necessáriæ sunt, vobis ea quæ minóris sunt prétii. Si dum doctóres majóra dispérgunt, vos ne in mínimis quidem velítis liberalitátem exhibére ; immo non liberalitátem, sed gratum ánimum ; nam aliéna datis ; quæ vobis erit defénsio ?

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio C2

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Amáti Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti Festo Exaltationis S. Crucis, Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Exáudi, ut supra.

FESTA OCTOBRIS

DIE 1 OCTOBRIS

SANCTI REMIGII

EP. ET CONF.

Duplex majus (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio C1

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Remígii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Hierónyme, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit, ut supra 24

Oratio

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum, Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es : præsta, quæsumus ; ut, ejus suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

REMÍGIUS, qui et Remédius, Laudúni natus est, paréntibus nobílibus, Æmílio et sancta Cilínia, ætáte jam provéctis, et grátia apud suos nominatíssimis. Ortum ejus prædíxerat solitárius quidam cæcus, nómine Montánus, qui et visum póstea recépit, admóto ad óculos lacte quo infans Remígius alebátur. Stúdiis et oratiónibus primos impendébat annos futúrus Francórum apóstolus, secéssum colens : quo magis hóminum frequéntiam fúgere conabátur, eo nótior toti provínciæ fiébat. Annos natus duos et vigínti, post tránsitum Bennádii archiepíscopi Rheménsis, ob seníles in adolescéntia mores, ad sedem Rheménsem ómnium votis raptus pótius quam eléctus fuit. Onus episcopále effúgere cúpiens, divínis mónitis suscípere cógitur. Ab epíscopis provínciæ consecrátus, se tamquam veteránum gessit in regímine ecclésiæ suæ. Vir éloquens, potens in Scriptúris, exémplum erat fidélium. Quod ore docébat, implébat ópere. Grege suo summo labóre ac vigilántia mystériis fídei imbúto, et disciplína in clero constitúta, regnum Christi in Bélgio promovéndum suscépit ; pópulis ad fidem convérsis, novos episcopátus instítuit : Teruánæ, ubi sanctum Antimúndum ; Atrebátis, ubi sanctum Vedástum ; Laudúni, ubi sanctum Genebáldum præfécit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

CLODOVÉI et Francórum ánimi, cúltui pagáno adhuc déditi, movebántur stupéndis Remígii opéribus, quæ ubíque vulgabántur. Cum autem Clodovéus, Gallórum victor, Alemánnos Tolbíaci, invocáto Christi nómine, debellásset, Remígium ad se evocátum, de religióne christiána disseréntem libénter áudiit. Et instánti Remígio ut fidem profiterétur, cum respondísset veréri se ne per pópulum sibi non licéret ; id ubi rescívit pópulus, statim acclamávit : Mortáles deos abígimus, pie rex : et Deum, quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus. Tum Remígius jejúnia secúndum Ecclésiæ morem illis indíxit, et regem, quem fídei documéntis coram sancta Clotílde regína imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus : Mitis depóne colla, Sicámber : adóra quod incendísti ; incénde quod adorásti. Baptizátum sacro inúnxit chrísmate cum signáculo crucis Christi. De exércitu autem ejus ter mille et ámplius baptísmo initiáti sunt, simul et Alboflédis Clodovéi soror : quæ cum paulo post de vivis decessísset, regem per lítteras consolátus est Remígius. Lanthíldis quoque, áltera soror regis, ab ariána hǽresi revocáta, sacro chrísmate inúncta est, et Ecclésiæ reconciliáta.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Exímia fuit ipsíus erga páuperes liberálitas, et cleméntia in pœniténtes singuláris : Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Ariánum epíscopum in sýnodo, divína virtúte, mutum réddidit ; eíque per nutus véniam poscénti, vocem his verbis restítuit : In nómine Dómini nostri Jesu Christi, si sic de eo recte sentis, lóquere ; et de illo, sicut cathólica credit Ecclésia, confitére. Recépto ille vocis usu, crédere se et in eádem fide moritúrum pollícitus est. Sub finem vitæ oculórum usu orbátus est Remígius, quem tamen paulo ante mortem recuperávit. Tránsitus diem non ignórans, finítis Missárum solémniis, plebe sacro Christi córpore confirmáta, valefáciens clero et pópulo, dans síngulis pacem in ósculo oris Dómini, plenus diérum et óperum ex hac vita decéssit Idibus Januárii, anno ætátis nonagésimo sexto, post Christum quingentésimo trigésimo tértio. Sepúltus est in ædícula sancti Christóphori ; et mórtuus, sicut et vivus, cláruit miráculis.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre, de Communi Conf. Pont. 1o loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus : ut beáti Remígii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dm̃.

Vesperæ de sequenti Festo Ss. Angelorum Custodum, Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit et Oratio Da, quǽsumus, ut supra.

DIE 3 OCTOBRIS

S. TERESIÆ A JESU INFANTE

VIRGINIS
PATRONÆ SECUNDARIÆ
TOTIUS GALLIÆ

Duplex II classis

IN I VESPERIS

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Pss. de Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua et glória Dómini cólliget te.

Capit. Is. 66, 12

Hæc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

NOMEN decúsque cóncinant
Terésiæ almæ Vírginis
Qui sancta divi párvuli
Credunt amántque múnera.

Carméli summos vértices
Patróna Mater déligit :
Terésia illuc ádvolat,
Sponsi premens vestígia.

Affláta Jesu númine
Secréta pandit grátiæ ;
Magístra mundo símplices
Infántium docet vias.

Virtútis ipsa flósculos
Olent sacráta límina,
Quæ casta virgo, ut ángelus
Immíssus e cælo, colit.

At júbilum non éxprimit
Omnes amóris ímpetus ;
Non septa magnos cláudere
Ejus valent anhélitus.

Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ego autem in Dómino gaudébo. ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo.

Ad Magnif. Ant. Ego Dóminus * sponsábo te mihi in sempitérnum : et sponsábo te mihi in justítia et judício, et in misericórdia et in miseratiónibus : et sponsábo te mihi in fide.

Oratio

Dómine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus ; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut præmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Et fit Com. præced. :

Ant. Sancti Angeli, custódes nostri, defféndite nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Oratio

Deus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris : largíre supplícibus tuis ; et eórum semper protectióne deféndi, et ætérna societáte gaudére. Per Dóminum.

Complet. de Dom.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Nomen, u supra in I Vesp.

In I Nocturno

Ant. 1 Plácuit Deo, * qui me vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me.

Pss. trium Noct. de Comm. Virginum.

Ant. 2 Ipse vero * scit viam meam, et probávit me quasi aurum, quod per ignem transit.

Ant. 3 Vestígia ejus * secútus est pes meus, viam ejus custodívi, et non declinávi ex ea.

℣. Exsultábo et lætábor, Dómine, in misericórdia tua. ℟. Quóniam respexísti humilitátem meam.

De Cánticis Canticórum

Lectio i Cap. 2, 1-6

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℟. Exsultábit cor meum, Deus, in salutári tuo : * Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómini Altíssimi. ℣. Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quamta fecit ánimæ meæ. Cantábo.

Lectio ii Cap. 2, 10-14

En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo : * Quia índuit me vestiméntis salútis : et induménto justítiæ circúmdedit me quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. In Deo salutáre meum, et glória mea : Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est. Quia.

Lectio iii Cap. 5,1; 6,1-3

Véniat diléctus meus in hortum suum, et cómedat fructum pomórum suórum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis : comédi favum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte meo : comédite, amíci, et bíbite, et inebriámini, caríssimi. Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. Delectáre in Dómino, et dabit tibi petitiónes cordis tui : * Et edúcet quasi lumen justítiam tuam : et judícium tuum tamquam merídiem. ℣. Acquiésce ígitur ei, et habéto pacem, et per hæc habébis fructus óptimos. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 4 Jurávi tibi, * et ingréssus sum pactum tecum, ait Dóminus Deus, et facta es mihi.

Ant. 5 Ego Dóminus, * Deus tuus, docens te utília, gubérnans te in via qua ámbulas.

Ant. 6 Egréssum est * nomen tuum in gentes propter spéciem tuam, quia perfécta eras in decóre meo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

Lectio iv

TERÉSIA a Jesu Infánte, Alensónii in Gállia, honéstis paréntibus, singulári et assídua erga Deum pietáte conspícuis, orta est. Inde a prima ætáte, divíno Spíritu prævénta, religiósam vitam ágere cupiébat. Sério autem promísit, se nihil Deo denegatúram, quod ipse ab ea pétere viderétur, quam promissiónem fidéliter usque ad mortem serváre satégit. Quinto ætátis anno, matre amíssa, Dei providéntiæ se totam commísit sub vigilánti custódia amantíssimi patris, sororúmque natu majórum : quibus magístris, Terésia ad curréndam perfectiónis viam, ut gigas exsultávit. Novénnis virgínibus ex órdine sancti Benedícti Lexóviis excolénda tráditur, ibíque in rerum divinárum cognitióne excéllere visa est. Décimo ætátis anno, arcánus et gravis morbus eam diu cruciávit, a quo, prout ipsa enárrat, ope beatíssimæ Vírginis, quæ eídem subrídens appáruit, et quam sub título Dóminæ Nostræ a Victória per novendiália invocáre stúduit, divínitus fuit liberáta. Tunc, angélico fervóre repléta, ad sacrum convívium, in quo Christus súmitur, se diligentíssime præparáre curávit.

℟. Factus est Dóminus firmaméntum meum : et edúxit me in latitúdinem : * Liberávit me, quia complácui ei. ℣. Deus, qui accínxit me fortitúdine, et complanávit perféctam viam meam. Liberávit.

Lectio v

Ut prímitus eucharístico pane fuit refécta, insatiábilem cæléstis hujus cibi famem hauríre visa est : unde, velut inspiráta, Jesum rogábat, ut omnem mundánam consolatiónem in amaritúdinem sibi vérteret. Inde, tenérrimo in Christum Dóminum et in Ecclésiam amóre exæstuans, nihil antíquius hábuit quam Carmelitárum Excalceatórum órdinem íngredi, ut, sui abnegatióne suísque sacrifíciis, sacerdótibus, missionáriis, totíque Ecclésiæ opem afférret et innúmeras ánimas Jesu Christo lucrifáceret : quod jam morti próxima, apud Deum se factúram pollícita est. Propter ætátis deféctum, multas ad religiósam vitam amplecténdam nacta est difficultátes, quibus tamen incredíbili ánimi fortitúdine superátis, quíndecim annos nata, Lexoviénsem Carmélum felíciter ingréssa est. Ibi mirábiles Deus in Terésiæ corde ascensiónes dispósuit, quæ, Maríæ Vírginis vitam abscónditam imitáta, quasi hortus irríguus, flores ómnium virtútum germinávit, præcípue vero exímiæ in Deum et in próximum caritátis.

℟. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui : * Et concupíscet Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyta próteget te. Et.

Lectio vi

Quo magis Altíssimo placéret, cum in sacris Scriptúris mónitum illud legísset : Si quis est párvulus, véniat ad me : párvula in spíritu esse vóluit, et inde, filiáli fidúcia, Deo, tamquam patri amantíssimo, se perpétuo trádidit. Hanc spirituális infántiæ viam, secúndum Evangélii doctrínam, álios edócuit, speciátim novítias, quas ex obediéntia ad religiosárum virtútum stúdium informándas suscépit, atque ita, apostólico zelo repléta, mundo supérbia infláto et vanitátes diligénti, evangélicæ simplicitátis iter patefécit. Sponsus autem Jesus eam patiéndi desidério, tam in ánima, quam in córpore, pénitus inflammávit. Insuper, Dei caritátem undequáque negléctam animadvértens, summo dolóre affécta, duóbus ante óbitum annis, Dei miseréntis amóri se víctimam óbtulit. Tunc, ut ipsa refert, cæléstis ignis flamma vulneráta est : unde, caritáte consúmpta, in éxtasim rapta, ferventíssime ingémimans : Deus meus, te díligo, vigínti quátuor annos nata, die trigésima Septémbris, anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, ad Sponsum evolávit. Quod autem móriens promíserat, se perénnem rosárum plúviam in terram demissúram, hoc, in cælum recépta, innúmeris miráculis reápse adimplévit et in dies adímplet. Quam Pius undécimus, Póntifex máximus, beátis Virgínibus adscríptam, et, biénnio post, jubilǽo máximo recurrénte, inter sanctas relátam, peculiárem ómnium Missiónum Patrónam constítuit ac declarávit.

℟. Dómine, quid mihi est in cælo ? et a te quid vólui super terram ? Defécit caro mea et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : quóniam dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me. Deus cordis mei. Glória Patri. Deus cordis mei.

In III Nocturno

Ant. 7 Signa et mirabília * fecit apud me Deus excélsus : et Altíssimo benedíxi, et vivéntem in sempitérnum laudávi et glorificávi.

Ant. 8 Absit autem a me, * ut cessem oráre pro vobis ; et docébo vos viam bonam et rectam.

Ant. 9 Ego deprecábor Dóminum, * et ad Deum ponam elóquium meum :

qui facit magna et inscrutabília, et mirabília absque número.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Léctio sancti Evangélii
secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 18, 1-4

In illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno cælórum ? Et réliqua.

Homilía sancti Leónis
Papæ

Sermo 37, alias 36, in Epiph. solemn., 7, cap. 3-4

Tota, dilectíssimi, christiánæ sapiéntiæ disciplína, non in abundántia verbi, non in astútia disputándi, neque in appetítu laudis et glóriæ, sed in vera et voluntária humilitáte consístit, quam Dóminus Jesus Christus ab útero matris usque ad supplícium crucis pro omni fortitúdine et elégit et dócuit. Nam, cum discípuli ejus inter se, ut ait Evangelísta, disquírerent quis eórum major esset in regno cælórum, vocávit párvulum, et státuit eum in médio eórum, et dixit : Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut puer iste, hic major erit in regno cælórum. Amat Christus infántiam, quam primum et ánimo suscépit et córpore. Amat Christus infántiam, humilitátis magístram, innocéntiæ régulam, mansuetúdinis formam. Amat Christus infántiam, ad quam majórum dírigit mores, ad quam senum redúcit ætátes ; et eos ad suum inclínat exémplum, quos ad regnum sublímat ætérnum.

℟. Dómine, super senes intelléxi : quia lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis : * Declarátio sermónum tuórum illúminat, et intelléctum dat párvulis. ℣. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitátem díligas. Declarátio.

Lectio viii

Ut autem plene valeámus agnóscere quómodo apprehéndi possit tam mira convérsio et in puerílem gradum qua nobis mutatióne redeúndum sit, dóceat nos beátus Paulus, et dicat : Nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítia párvuli estóte. Non ergo ad lúdicra infántiæ et imperfécta nobis primórdia reverténdum est, sed áliquid, quod étiam graves annos déceat, inde suméndum, ut velox sit commotiónum tránsitus, citus ad pacem recúrsus : nulla sit memória offensiónis, nulla cupíditas dignitátis; amor sóciæ communiónis, æquálitas naturális. Magnum enim bonum est nocére non nosse et malígna non sápere ; quia inférre ac reférre injúriam, mundi hujus prudéntia est; némini autem malum pro malo réddere, christiánæ est æquanimitátis infántia.

℟. Suscípiat ánima vestra disciplínam, in próximo est enim inveníre eam : * Vidéte óculis vestris, quia módicum labórávi, et invéni mihi multam réquiem. ℣. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo. Vidéte. Glória Patri. Vidéte.

Lectio ix

Ad hanc vos, dilectíssimi, similitúdinem parvulórum mystérium hodiérnæ festivitátis invítat ; et hanc vobis humilitátis formam adorátus a Magis puer Salvátor insínuat : qui, ut imitatóribus suis quid glóriæ paráret, osténderet, ortus sui témpore éditos martýrio consecrávit ; ut in Béthlehem, ubi Christus natus est, géniti, per communiónem ætátis consórtes fíerent passiónis. Amétur ígitur humílitas, et omnis a fidélibus vitétur elátio. Alter álterum sibi præferat, et nemo quod suum est quærat, sed quod altérius ; ut, cum in ómnibus abundáverit affectus benevoléntiæ, in nullo virus inveniátur invídiæ ; quóniam qui se exáltat, humiliábitur, et qui se humíliat, exaltábitur, eódem ipso testánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus in sǽcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Pss. de Dom.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capit. Is. 66, 12

HÆC dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

IMMÉNSA Christi cáritas
Majóra cogit ággredi
Apostolórum et Mártyrum
Auctam coróna vírginem.

Optans amóris víctima
Ex igne adúri mýstico,
Sponsum precátur últimas
Flammas vorántes éxcitet.

Æternitátis núntia
Optáta mors jam pérvenit :
Hæc íngemens : Te díligo!
Terésia ad Christum émigrat.

Cæléstibus nunc gáudiis
Fruens, ab arce síderum,
Quas lárgiter promíseras,
Rosas meménto spárgere.

Tu corde Rex mitíssime,
Qui párvulis regnum paras,
Nos hanc secútos íngredi
Præsta beáta límina.

Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam. ℟. Et Deus tuus in glóriam tuam.

Ad Bened. Ant. Réquiem tibi dabit * Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam ; et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ.

Oratio

DÓMINE, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum: da nobis, quǽsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Ad Horas Ant. de Laud., Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Lectio br. Vidébitis, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

Capit. Is. 66, 12

HÆC dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

℟. br. Exsultábo et lætábor, Dómine, * In misericórdia tua. Exsultábo. ℣. Quóniam respexísti humilitátem meam. In. Glória Patri. Exsultábo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

AD SEXTAM

Ant. Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

Capit. Is. 66, 13

QUÓMODO si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Jerúsalem consolabímini.

℟. br. Anima mea * Exsultábit in Dómino. Anima. ℣. Et delectábitur super salutári suo. Exsultábit. Glória Patri. Anima.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini ejus, quóniam suáve.

AD NONAM

Ant. Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capit. Is. 66, 14

VIDÉBITIS, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt ; et cognoscétur manus Dómini servis ejus.

℟. br. Laudáte Dóminum, * Quia bonus Dóminus. Laudáte. ℣. Psállite nómini ejus, quóniam suáve. Quia. Glória Patri. Laudáte.

℣. Dóminus facit mirabília magna solus. ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

IN II VESPERIS

Ant. et Capit. de Laud., Pss. ut in Comm. Festorum B. Mariæ Virg.

Hymnus

LUCE divína rutilántis aulæ
Sédibus, Virgo, frúeris, secúndans
Vota, promísso réfoves precántes
Imbre rosárum.

Sint rosæ nobis fídei supérnæ
Lumen affúlgens, columénque rebus
Spes in advérsis, et amóris almi
Vívida virtus.

Sint rosæ nobis tuus ille fidens
Candor infántis Dómino, patérno
Grata qui præbet vel acérba nostræ
Númine vitæ.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣. Manus Dómini confortávit te. ℟. Et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Benedíctus Dóminus, * quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Oratio Dómine, ut supra 38

Et fit Com. seq. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas: tríbue nobis; ex ejus imitatióne terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

DIE 5 OCTOBRIS

(d. a. e 1 huj.)

SANCTI PIATI

PRESBYTERI ET MARTYRIS

Duplex

In II Vesp. præced. Festi S. Francisci fit Com. seq. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, intercedénte beáto Piáto, Mártyre tuo, in sincéra fide constántiam : ut in ea virtúte firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur. (Per.)

Deinde Com. Ss. Placidi et Soc. Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Plácidi et Sociórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Piátus, Benevénti claris paréntibus oriúndus, puer lítteris imbútus totum se Christo dedit. Adoléscens factus, mundi glóriam contémpsit, et única eáque símplici veste sibi reserváta, cétera in páuperum usum erogávit. Romam Deo disponénte proféctus, inde a Románo Pontífice cum Quíntino, Luciáno et áliis, diréctus est in Gálliam ad prædicándam Christi fidem, ubi Tornáci primo, ac deínde locis vicínis ministérium suum implévit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v

Trigínta virórum míllia, ac prætérea mulíerum et parvulórum multitúdinem pene innúmeram undis salutáribus ábluit. Mansuétus erga omnes, durus erat in seípsum. Cum vero prǽsidi delátum fuísset tantam fidélium cópiam Christo súbditam fuísse per ejus prædicatiónem, jussit eum comprehéndi. Piátus, post cárcerem, cómpedes, vérbera, cetéraque superáta torménta, cæso cápite Tornáci martýrium consummávit, Kaléndis Octóbris, in persecutióne Maximiáni.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi

Sepúltus est Siclínii, quod est Flándriæ municípium, in território Melantésio, eo loco ubi nunc exstat ecclésia sub ejus invocatióne. Dum vero sepultúræ mandarétur, odor gratíssimus emanávit. Ibi beátus Elígius multo labóre atque indústria sanctum illud corpus invénit, clavósque longos de ejus córpore ablátos pópulis in arguméntum monstrávit. Invéntum elegánter, sicut Mártyrem decébat, compósuit, ac mausoléum désuper auro argentóque et gemmis fabricávit. Anno autem millésimo octingentésimo quarto, Ludovícus, Cameracénsis epíscopus, cum sancti Piáti visitáret ecclésiam, oblátas sibi beáti Mártyris relíquias, impiórum furóri sublátas, recognóvit, eásque de novo fidélium veneratióni exponéndas permísit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 12, 24-26

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen, dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 368

Modo, fratres caríssimi, cum divína léctio legerétur, audívimus Dóminum dicéntem : Qui amat ánimam suam, perdet illam. Huic senténtiæ quasi contrárium vidétur esse quod ait Apóstolus : Nemo umquam carnem suam ódio hábuit. Si ergo nemo est qui carnem suam óderit : quanto magis nemo est qui óderit ánimam suam ? Multum quippe ánima carni præpónitur : quia ipsa est habitátrix, caro habitáculum ; et ánima dominátur, caro autem servit ; ánima supérior est, caro subjécta est. Si ergo nemo umquam carnem suam ódio hábuit, quis est qui ánimam suam óderit ?

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii

Propter hoc non parvam quæstiónem nobis íntulit præsens evangélica léctio, ubi audívimus : Qui amat ánimam suam, perdet illam. Periculósum est hómini ánimam suam amáre, ne péreat. Sed si proptérea periculósum est ut ames ánimam tuam, ne péreat ánima tua, ídeo non debes illam amáre, quia non vis illam períre. Si autem non vis illam períre, amas illam. Quid est hoc ? Si amo, perdo. Ergo non amem, ne perdam. Sed, quia tímeo pérdere, ídeo non amo ; et útique, quod tímeo ne perdam, amo.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Pro Ss. Placido et Sociis Martyribus :

Lectio ix

Plácidus Romæ, Tertúllo patre in primis nóbili natus, puer Deo oblátus et sancto Benedícto tráditus, tantum ejus disciplína et monásticæ vitæ institútis profécit, ut inter præcípuos illíus discípulos numerétur. Ab eo in Sicíliam missus, monastérium et ecclésiam in honórem sancti Joánnis Baptístæ prope Messánæ portum constrúxit, ubi cum mónachis admirábili sanctitáte vixit. Ejus viséndi causa cum eo veníssent Eutýchius et Victorínus, illíus fratres, et Flávia, virgo soror, eódem témpore illuc áppulit immánis quidam pirála, Manúcha nómine ; qui, capto monastério, cum Plácidum et céteros nullo modo addúcere potuísset ut Christum negárent, ipsum fratrésque illíus ac sorórem crudéliter necári jussit. Cum quibus étiam Donátus, Firmátus diáconus, Faustus aliíque trigínta mónachi, martýrii agónem felíciter consummárunt tértio Nonas Octóbris, anno salútis quingentésimo trigésimo nono.

Te Deum laudámus.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemorati non sit dicenda, erit sequens

Lectio ix

Dicit et álibi Dóminus : Quid prodest hómini, si totum mundum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur ? Ecce quia sic est amánda ánima, ut lucro totíus mundi præferátur ; et tamen obsérvet qui ánimam amat, quia si amat, perdet illam. Non vis pérdere eam, noli illam amáre. Sed si non vis eam pérdere, non potes eam non amáre. Sunt ergo qui pervérse ánimam suam amant ; et hoc vult Dei sermo corrígere, non ut óderint ánimam suam, sed ut recte díligant. Male enim diligéndo perdunt eam, et fit quiddam magnum quasi præpósterum et contrárium : sed ita tamen fit, ut si díligas eam pervérse, perdas illam ; si óderis illam recte, consérves illam.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DA nobis, quǽsumus, Dómine, intercedénte beáto Piáto, Mártyre tuo, in sincéra fide constántiam : ut in ea virtúte firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur. Per Dm.

Et fit Com. Ss. Placidi et Soc. Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Plácidi et Sociórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

Vesp. a Capit. de seq., Com. præced. :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus et Oratio Da nobis, ut supra.

DIE 9 OCTOBRIS

SANCTORUM DIONYSII
EPISCOPI
RUSTICI
et ELEUTHERII
MARTYRUM

Duplex majus

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum Géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tríbue nobis, quǽsumus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Et fit Com. præced.:

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Dómine, Deus noster, qui beátæ Birgíttæ per Fílium tuum unigénitum secréta cæléstia revelásti: ipsíus pia intercessióne da nobis fámulis tuis; in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes. (Per eúmdem Dóminum.)

Deinde Com. S. Joannis Leonardi Conf. (Duplex):

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti: da nobis fámulis tuis; ita ejus institútis profícere, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Dionýsius, Atheniénsis, unus ex Areopagítis judícibus, vir fuit omni doctrínæ génere instrúctus. Qui, cum adhuc in gentilitátis erróre versarétur, eo die, quo Christus

Dóminus cruci affíxus est, solem præter natúram defecísse animadvértens, exclamásse tráditur : Aut Deus natúræ pátitur, aut mundi máchina dissolvétur. Sed, cum Paulus Apóstolus, véniens Athénas et in Areopágum ductus, ratiónem reddidísset ejus doctrínæ quam prædicábat, affírmans Christum Dóminum resurrexísse, et mórtuos omnes in vitam reditúros esse ; cum álii multi, tum ipse Dionýsius in Christum crédidit.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

ITAQUE et baptizátus est ab Apóstolo, et Atheniénsium ecclésiæ præféctus. Qui, cum póstea Romam venísset, a Cleménte Pontífice missus est in Gálliam prædicándi Evangélii causa. Quem Lutétiam usque Parisiórum Rústicus présbyter et Eleuthérius diáconus prosecúti sunt ; ubi a Fescénnio præfécto, quod multos ad christiánam religiónem convertísset, ipse cum sóciis virgis cæsus est. Cumque in prædicatióne christiánæ fídei constantíssime perseveráret, in cratículam, subjécto igne, injícitur, multísque prætérea supplíciis una cum sóciis cruciátur.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio vi

SED ea tormentórum génera ómnibus forti ac libénti ánimo perferéntibus, Dionýsius, annum agens supra centésimum, cum réliquis secúri percútitur séptimo Idus Octóbris. De quo illud memóriæ próditum est, abscíssum suum caput sustulísse, et progréssum ad duo míllia pássuum in mánibus gestásse. Libros scripsit admirábiles ac plane cæléstes, de divínis homínibus, de cælésti et ecclesiástica hierarchía, de mýstica theología, et álios quosdam.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos ; et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homil. in Evang. Atténdite a ferménto, de Comm. plur. Mm. 3º loco.

Pro S. Joanne Leonardi :

Lectio ix

JOÁNNES Leonárdi non longe a Lucénsi urbe ortus, a prima ætáte grave quiddam ac matúrum præ se tulit. Annos natus vigínti sex a Deo vocátus ad ecclesiásticæ milítiæ nomen dandum, primum inter púeros latínæ linguæ rudiméntis instrúctus, in lítteris et philosóphicis ac theológicis disciplínis ádeo profécit ut vix acto quadriénnio ad sacerdótium ex obediéntia promótus fúerit. Congregatiónem instítuit Clericórum Regulárium a Matre Dei, quorum cura et zelo in Lucénsi república magna animórum commutátio perácta est. Hinc in acérrimas hóminum nequam insectatiónes incídit, sed, æquo ánimo ómnia libénter ferens, a Gregório décimo tértio suæ Congregatiónis confirmatiónem impetrávit. Gráviter dolens gentes plúrimas remótis in regiónibus luce Evangélica caróre, consíliis inítis cum piíssimo præsule Vives, cœtum instítuit presbyterórum, quibus propósitum esset idóneos informáre adolescéntes, in díssitas regiónes subínde mitténdos ad fidem propagándam. A sacro ministério numquam defíciens, in cínere et cilício ad Dóminum migrávit Romæ, die nona Octóbris, anno millésimo sexcentésimo nono, et a Pio undécimo Sanctórum fastis adscríptus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum Géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quǽsumus ; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. S. Joannis Leonardi :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti : da nobis fámulis tuis ; ita ejus institútis profícere, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio Deus, qui hodiérna, ut supra.

Et fit Com. seq. Festi S. Francisci Borgiæ Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et prǽmium : quǽsumus ; ut, sicut beátum Francíscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes : (Qui vivis.)

Deinde Com. S. Joannis Leonardi :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum et Oratio Deus, qui beátum, ut supra 48

DIE 16 OCTOBRIS

SANCTI MOMMOLENI

EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEUS, qui hunc diem beáti Mommoléni Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte consecrásti : præsta, quǽsumus ; ut ejus suffrágia apud te sentiámus in cælis, cujus pio amóre solémnia venerámur in terris. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis sanctæ Teresiæ :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

EXÁUDI nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Terésiæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita cæléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur afféctu.

Deinde S. Hedwigis Vid. (Semid.) :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui beátam Hedwígem a sǽculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre : Qui vivis.

In II Nocturno

Lectio iv

Mommolénus e Constántia civitáte ad Rhenum oriúndus, Luxóvii sub Eustásio, sancti Columbáni discípulo, vitam ampléxus est monásticam, ibíque sacrárum litterárum et veræ pietátis tirocínia pósuit. Sacérdos factus, cum sanctis Bertíno et Ebertrámno in Gálliam venit, ad beátum Audomárum, Teruanénsem epíscopum ac Bertíni consanguíneum, ut in cultúra agri Domínici illi cum sóciis esset adjútor. Mox verbum Dei nuntiáre cœpit, pópulis magno número confluéntibus. Porro, quod ore prædicábat, hoc étiam ópere complébat, unde ómnibus exémplo simul erat et admiratióni.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Prístinæ vocatiónis non oblíti, concedénte, immo et jubénte Audomáro, tres viri sancti, Mommolénus, Bertínus et Ebertrámnus, ecclesíolam et cellam exstruxérunt in loco qui, posteáquam ædificátum fuit in Síthiu celebérrimum cœnóbium, vetus monastérium nominátus est, nunc vero intra fines diœcésis Insulénsis conclúsus sancti Mommoléni villa nuncupátur. Atque ibídem sicut deínceps in Síthiu Mommolénus primus abbas præféctus, exímiæ in Deum pietátis, necnon effusíssimæ erga páuperes, captívos et ægrótos caritátis documénta trádidit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

INTÉREA cóntigit sanctum Elígium ad cæléstis regni corónam vocári, in cujus locum invítus licet subrogátus est Mommolénus. Ecclésias Tornacénsem et Novioménsem vigínti sex annis sanctíssime gubernávit. Elnonénsem basílicam consecrávit, rogánte Amándo, cujus étiam testaménto subscrípsit. Elígii corpus anno a depositióne revolúto tránstulit. Adveniénte tandem éxitus sui die, sepultúram elégit Noviómi extra civitátis mœnia, et cum última exhortatiónis verba ad discípulos habuísset, sanctíssimam ánimam exhalávit, anno Dómini sexcentésimo octogésimo quinto. Corpus ejus in majórem ecclésiam Novioménsem translátum ibi quiéscit, pars vero cápitis in villa sancti Mommoléni religiosíssime asservátur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1º loco.

Pro S. Hedwige Vid. :

Lectio ix

HEDWÍGIS, régiis clara natálibus, sanctæ Elísabeth, fíliæ regis Hungáriæ, matértera, duodénnis Henríco Polóniæ duci núptui trádita, prolem inde suscéptam in Dei timóre erudívit. Ut autem commódius Deo vacáret, ex pari voto et consénsu unánimi, ad separatiónem thori virum indúxit. Quo defúncto, ipsa in monastério Trebnicénsi Cisterciénsem sumpsit hábitum ; in eóque, contemplatióni inténta, divínis Offíciis et Missárum solémniis assídua assístere in delíciis hábuit. Sublimióribus florens virtútibus, arctíssima pœniténtia, consiliórum gravitáte animíque candóre, in exímium religiósæ pietátis evásit exémplum. Omnibus se ultro subjícere, atque vilióra múnia subíre, paupéribus étiam flexo genu ministráre, leprosórum pedes ablúere et osculári, ipsi familiáre erat. Mira ejus patiéntia animíque constántia, præcípue in morte Henríci, ducis Silésiæ, sui fílii, in bello a Tártaris cæsi, enítuit. Miraculórum glória, præcípue post óbitum, claram, Clemens quartus Sanctórum número eam adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui hunc diem beáti Mommoléni Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte consecrásti : præsta, quǽsumus ; ut ejus suffrágia apud te sentiámus in cælis, cujus pio amóre solémnia venerámur in terris. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Hedwigis :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátam Hedwígem a sǽculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde ; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre : Qui vivis.

IN II VESPERIS

Fit a Capit. de seq. Festo S. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg.

Et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Deus, qui hunc, ut supra 52

Deinde S. Hedwigis : Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa et Oratio Deus, qui beátam, ut supra 52

DIE 28 OCTOBRIS

B. MARIÆ VIRGINIS titulo CANCELLATÆ

CIVITATIS ET DIŒCESIS PATRONÆ AC TITULARIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Fest. B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. O beáta Virgo María : * tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio

DEUS, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dóminum.

In I Nocturno

De Cánticis canticórum

Cap. 1, 4-16 ; 2, 1-13

Lectio i

NIGRA sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis. Nolíte me consideráre, quod fusca sim, quia decolorávit me sol : fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis : víneam meam non custodívi. Indica mihi quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te, amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis : collum tuum sicut monília. Murénulas áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus ésseram, néscio : * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Lectio ii

Cum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus cypri diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es, amíca mea, ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es, dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus, tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina. Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus quem desideráveram sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus : stipáte me malis : quia amóre lángueo.

℟. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum : quia cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et.

Lectio iii

Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles : símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, et veni : jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit : flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit. Vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In II Nocturno

Lectio iv

Ex publicis monumentis

Beátam Vírginem Dei Matrem et cæli Regínam speciáli semper afféctu et devotióne prosecúti sunt cives Insulénses. Quam eórum pietátem testántur sanctuária intra et extra mœnia in honórem sanctíssimæ Dei Genitrícis erécta, atque illud præcípue augustíssimum quo servátur beátæ Maríæ Vírginis título Cancellátæ imágo, tot generatiónum amóre et obséquio ab ipsis Insulárum incunábulis circúmdata. Hoc vero templum anno millésimo octingentésimo quinquagésimo quarto colláto fidélium ære fundátum, in altérius locum succéssit quod ante octo sǽcula eréxerat Balduínus Flándriæ comes, Insulénsis dictus, qui has ædes sancto Petro dicátas insígni canonicórum collégio cohonestávit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

Ut præcípuus Ecclésiæ thesáurus fuit imágo Vírginis cancéllis circumsépta, e quibus suæ benignitátis rádios in cliéntes illic confluéntes emísit Mater dulcíssima. Hinc sodalítium institútum, cui adscríbi voluérunt príncipes, prǽsules, nóbiles et omnis órdinis cives ; hinc solémnis supplicátio quæ a sǽculo décimo tértio quotánnis instaurabátur, et ad quam indémnes conveníre póterant quotquot creditórum metus aut pœna decréta extórres fécerat ; hinc magníficum sanctuárium in ipsa ecclésia ingénti sumptu a Philíppo Bono Flándriæ cómite et Burgúndiæ duce ædificátum.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem ? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

Quod tácitis ómnium sénsibus et longo sæculórum usu jámdiu decrétum fúerat, ut nempe Insulénses cives Vírginis Cancellátæ urbis Patrónæ ac Regínæ haberéntur súbditi speciáles, id tandem actu solémni testátum vóluit urbis magistrátus. Hujus consecratiónis, públice renováta fide, commemorátio quotánnis institúitur die vigésima octáva Octóbris. Neque ullo modo decrévit Insulénsium avíta píetas, uti testántur quotidiánus ad sacram imáginem concúrsus, festa celebrári sólita, illúdque præsértim ea occasióne ductum, qua Pius nonus Póntifex máximus Vírginem a Cancéllis coróna insignítam, atque grátiæ Matrem nuncupátam vóluit. Ecclésiam eídem dicátam título basílicæ minóris insignívit Pius décimus, quam deínde anno millésimo nongentésimo décimo tértio, ad dignitátem cathedrális evéxit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 26-38

In illo témpore : Missus est Gábriel Angelus a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 291 in Nativitate S. Joannis Baptistæ

ANGELUS vero idem ipse ad Maríam Vírginem : Ave, inquit, grátia plena, Dóminus tecum ; jam tecum est qui erit in te. Dic mihi ergo, núntie Dei, quómodo fiet istud ? Vide Angelum sciéntem, illam quæréntem, non diffidéntem. Quia ergo vidit eam quæréntem, non diffidéntem, non se negávit instruéntem. Audi quómodo : erit virgínitas tua, tu tantum crede veritátem, serva virginitátem, áccipe integritátem. Quóniam íntegra est fides tua, intácta erit et intégritas tua. Dénique audi quómodo fiet istud : Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, quia fide cóncipis, quia credéndo, in útero, non concumbéndo, habébis : proptérea quod nascétur de te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Quid es quæ póstea paritúra est ? Unde meruísti ? Unde hoc accepísti ? Unde fiet in te qui fecit te ? Unde, inquam, tibi hoc tantum bonum ? Virgo es, sancta es, votum vovísti ; sed multum quod meruísti, immo vero multum, quod accepísti.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. Quibus.

Lectio viii

NAM unde hoc meruísti? Fit in te qui fecit te, fit in te per quem facta es : immo vero per quem factum est cælum et terra, per quem facta sunt ómnia, fit in te Verbum Dei caro, accipiéndo carnem, non amitténdo divinitátem. Et Verbum júngitur carni, et Verbum copulátur carni, et hujus tanti conjúgii thálamus úterus tuus, et hujus, inquam, tanti conjúgii, id est Verbi et carnis thálamus úterus tuus ; unde ipse Sponsus procédit de thálamo suo.

℟. Porta cæli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te resplendet. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix

Invénit te vírginem concéptus, dimíttit vírginem natus. Dat fœcunditátem, non tollit integritátem. Unde tibi hoc ? Protérve Vírginem vídeor interrogáre, et quasi importúne aures verecúndas ista mea voce pulsáre. Sed vídeo Vírginem verecundántem, et tamen respondéntem, meque admonéntem : Quæris a me, unde mihi hoc ? Verecúndor tibi respondére bonum meum : Angeli audi ipsíus salutatiónem et in me agnósce tuam salútem. Crede cui crédidi. Unde mihi hoc quæris ? Angelus respóndeat. Dic mihi, Angele, unde Maríæ hoc ? Jam dixi cum salutávi : Ave, grátia plena.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Beáta es, * María, quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. O beáta Virgo María : * tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio Deus, qui humáno, ut supra 58

Et fit Com. seq. Festi Ss. Simonis et Judæ App. :

Ant. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ante reges et præsides ducémini propter me in testimónium illis, et Géntibus.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos Simónem et Judam ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

* * *

DIE 29 OCTOBRIS
(d. a. e 28 huj.)

SS. SIMONIS et JUDÆ APOSTOLORUM

Duplex II classis

Omnia ut in Brev. die 28, sine Com. Octavæ.

¶ Infra Oct. et in die Oct. Ant. et Pss. ad omnes Horas et ℣℣. Noct. de occurr. Hebdomadæ die, ut in Psalt. ; reliqua ut in Festo præter Lect., quæ in I Noct. dicuntur de Script. occurr. cum suis ℟℟. de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

DIE 30 OCTOBRIS

DE III DIE INFRA OCTAVAM B. MARIÆ VIRGINIS CANCELLATÆ

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Lauréntii Justiniáni
De Annuntiatione B.M.V.
Sermo 10

Lectio iv

Quóties intemerátæ Vírginis Maríæ prærogatívam sanctitátis facúndia humána conátur edícere, quóniam longe ab illíus exsístit méritis, necésse est ut succúmbat. Mélius quippe siléntio quam locutióne disséritur, cum omnis laus eádem inférior sit. Quis, oro, hujus Vírginis grátiam súfficit enarráre? Ab ipsa namque sui conceptióne in benedictiónibus est prævénta dulcédinis atque a damnatiónis aliéna chirógrapho, prius est sanctificáta quam nata. In ipso enim útero matérno jam pósita, super illam grátia sanctificatiónis effúlsit, útpote ea, quæ elécta erat, ut páreret Deum. Nóverat opus suum ille, qui fécerat, et quale futúrum erat, certíssime agnoscébat. Hinc est, quod Vírginem ipsam tam largo imbre Spíritus irrorávit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

Talis profécto erat, ut nulli úsui servarétur, nisi divíno. Quam ob rem, cum témporis plenitúdo venísset, in quo universórum cónditor humánum genus redímere statúerat, hanc præ céteris repériens sanctiórem, sibi præcípuam delégit in sponsam, ipsam mente ipsámque córpore custodívit intáctam, ut esset, de qua Verbum fíeret caro, ac mulíeris pudor per eam delerétur et culpa. Ad hanc útique Vírginem in civitátem Názareth a Deo missus est Gábriel, quátenus Incarnatiónis Verbi eídem tempus nuntiáret et modum. Ad Vírginem quippe missus est Angelus, quóniam Angelis semper est cognáta virgínitas: Angelus ad Vírginem míttitur, ut novam grátiam novi partus nova salutatióne disséreret. Visitatiónis enim áderat tempus, in quo liberarétur reus, sapiéntia corporarétur, delerétur culpa atque cæléstis Jerúsalem reædificaréntur mœnia.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

QUAM ob rem lætus paranýmphus efféctus pro offício, exhilarátus pro grátia, pro obséquio expedítus, insólito fulgóre vestítus, in humána effígie descéndit ad Vírginem. Dídicit sane ex præságio, quanta qualísque erat, ad quam dirigebátur salutándam. Ave, inquit, grátia plena, Dóminus tecum ; tecum in mente, tecum in ventre, tecum in thálamo, tecum in præsídio. Céterum hoc non abs te, sed ab illo, qui fecit te, ut nascerétur ex te, pascerétur a te, permanéret in te, atque grátia sua fœcundáret te. Replévit enim te, ut fíeret in te, possésque veráciter dícere, quod longe ante Sapiéntis ore vaticinátum fúerat de te : Et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

℟. Ornátam monílibus filíam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes eam. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 26-38

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Homil. 3 super Missus

AVE, inquit, grátia plena, Dóminus tecum. Quid mirum, si grátia plena erat, cum qua Dóminus erat ? Sed hoc pótius mirándum, quómodo, qui Angelum míserat ad Vírginem, ab Angelo invéntus est esse cum Vírgine ? Itane velócior Angelo fuit Deus, ut festinántem núntium celérior ipse prævenîret ad terras ? Nec mirum ; nam cum esset rex in accúbitu suo, nardus Vírginis dedit odórem suum, et ascéndit in conspéctu glóriæ ejus fumus arómatis, et invénit grátiam coram óculis Dómini. Statímque Rex egrédiens de loco sancto suo, nímio pérvolans desidério, prævénit núntium suum ad Vírginem, quam amáverat, quam sibi elégerat, cujus decórem concupíerat.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. Quibus.

Lectio viii

NON dixit : Dóminus in te, sed, Dóminus tecum. Nec tantum Dóminus Fílius tecum, quem carne tua índuis ; sed et Dóminus Spíritus Sanctus, de quo cóncipis, et Dóminus Pater, qui génuit quem cóncipis. Pater, inquam, tecum, qui Fílium suum facit et tuum. Fílius tecum, qui, ad condéndum in te mirábile sacraméntum, miro modo et sibi réserat genitále secrétum, et tibi servat virginále signáculum. Spíritus Sanctus tecum, qui cum Patre et Fílio tuum sanctíficat úterum. Dóminus ergo tecum.

℟. Porta cæli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te respléndet. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix

BENEDÍCTA tu in muliéribus. O Virgo prudens, o Virgo devóta, quis te dócuit Deo placére virginitátem ? Christo dévoves te exhibére vírginem, et nescis, quod ipsi exhibéri te opórteat étiam matrem ? Aperi, Virgo, sinum ; expánde grémium ; præpara úterum, quia ecce factúrus est tibi magna, qui potens est, in tantum, ut pro maledictióne Israël beátam te dicant omnes generatiónes. Nec suspéctam hábeas, prudens Virgo, fœcunditátem, quia non áuferet integritátem. Concípies, sed sine peccáto ; grávida eris, sed non graváta ; páries, sed non cum tristítia ; néscies virum, et gignes fílium.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Beáta es, * María, quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. O beáta Virgo María : * tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio Deus, qui, ut supra.

DIE 31 OCTOBRIS

DE IV DIE INFRA OCTAVAM

B. MARIÆ VIRGINIS CANCELLATÆ

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Sermo 3 de diversis

Lectio iv

Sapiéntia, quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos véniens, ædificávit sibi domum, ipsam scílicet Matrem suam, Vírginem Maríam, in qua septem colúmnas excídit. Quid est, in ea septem colúmnas excídere, nisi ipsam dignum sibi habitáculum fide et opéribus præparáre ? Nimírum ternárius númerus ad fidem propter sanctam Trinitátem, quaternárius pértinet ad mores propter quátuor principáles virtútes. Quod autem in beáta María sancta Trínitas fúerit (fúerit dico per præséntiam majestátis) ubi solus Fílius erat per susceptiónem humanitátis, testátur núntius cæléstis, qui ei arcána mystéria réserans, ait : Ave, grátia plena, Dóminus tecum ; et post pauca : Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ecce habes Dóminum, habes virtútem Altíssimi, habes Spíritum Sanctum, habes Patrem, et Fílium, et Spíritum Sanctum.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

UTRUM autem, et quátuor principáles virtútes, tamquam quátuor colúmnas posséderit, inquisitióne dignum vidétur. Primum ergo videámus, an fortitúdinem habúerit. Quæ nimírum virtus, quómodo illi abésse pótuit, quæ, abjéctis sæculáribus pompis spretísque voluptátibus carnis, soli Deo in virginitáte vívere propósuit ? Ni fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomónem légitur : Mulíerem fortem quis invéniet ? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Porro, quod témperans et justa fúerit, ex Angeli collocutióne et sui ipsíus responsióne luce clárius comprobámus. Salutáta quippe tam venerabíliter ab Angelo : Ave, grátia plena, Dóminus tecum : non se éxtulit, quasi quæ ex singulári grátiæ privilégio benedicerétur, sed síluit, et qualis esset insólita hæc salutátio, secum cogitávit. Qua in re, quid, nisi témperans fuit ?

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem ? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

AT vero, cum de cæléstibus mystériis ab eódem Angelo docerétur, diligénter quæsívit quómodo concíperet ac páreret, quæ virum útique non cognósceret : et in hoc sine dúbio prudens éxstitit. Justítiæ autem præfert insígne, ubi se ancíllam Dómini confitétur. Nam quod justórum sit conféssio, testátur, qui ait : Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo. Fuit ígitur beáta Virgo María fortis in propósito, témperans in siléntio, prudens in interrogatióne, justa in confessióne. His ítaque quátuor morum colúmnis, et tribus fídei prædíctis exstrúxit in ea sibi domum Sapiéntia cæléstis, quæ ádeo mentem ejus replévit, ut de plenitúdine mentis fœcundarétur et caro.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes eam. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 26-38

In illo témpore : Missus est Gábriel Angelus a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Hom. 1 super Missus

Quæ est ergo Virgo tam venerábilis, ut salutétur ab Angelo ; tam húmilis ut desponsáta sit fabro ? Pulchra permíxtio virginitátis et humilitátis, nec medíocriter placet Deo illa ánima, in qua et humílitas comméndat virginitátem, et virgínitas exórnat humilitátem. Sed quanta putas veneratióne digna est, in qua humilitátem exáltat fœcúnditas, et partus cónsecrat virginitátem ? Audis Vírginem, audis húmilem ? Laudábilis virtus virgínitas, sed magis necessária humílitas : illa consúlitur, ista præcípitur.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. Quibus.

Lectio viii

Hom. 2 et 3 super eodem loco

Missus est, inquit, Angelus ad Vírginem, vírginem carne, vírginem mente, vírginem professióne, vírginem dénique, qualem descríbit Apóstolus, mente et córpore sanctam ; nec nóviter, nec fortúito invéntam, sed a sǽculo eléctam, ab Altíssimo præcógnitam, ab Angelis servátam, a Pátribus præfigurátam, a Prophétis promíssam. Ut pauca loquar de plúribus, quam tibi áliam prædixísse Deus videtúr, quando ad serpéntem ait : Inimicítias ponam inter te et mulíerem ? Et si adhuc dúbitas, an de María díxerit, audi quod séquitur : Ipsa cónteret caput tuum. Cui hæc serváta victória est, nisi Maríæ ?

℟. Porta cæli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te respléndet. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. Quia. Glória Patri. Quia.

Pro Vigilia Omn. Sanctorum :

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio ix   Cap. 6, 17-23

In illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 5 in Luc. cap. 6, post initium

Advérte ómnia diligénter, quómodo et cum Apóstolis ascéndat, et descéndat ad turbas. Quómodo enim turba nisi in húmili Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique, ubi descéndit, invénit infírmos ; in excélsis enim infírmi esse non possunt. Hinc étiam Matthæus docet in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim, virtútibus procedéntibus, ascéndere possit ad montem ; et ídeo quemque in inferióribus sanat, hoc est, a libídine révocat, injúriam cæcitátis avértit. Ad vúlnera nostra descéndit ; ut, usu quodam et cópia suæ natúræ, compartícipes nos fáciat esse regni cæléstis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Beáta es, * María, quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Oratio

DEUS, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per.

Et fit Com. Vigiliæ : Ant. et ℣. de Feria.

Oratio

DÓMINE, Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam : et, quorum prævenímus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam. Per Dm̃.

Vesp. de seq. sine Com.

FESTA NOVEMBRIS

¶ Die 3 Novembris fit Officium de Octava Omnium Sanctorum, ut in Brev., cum Com. Oct. B. Mariæ Virg. Cancellatæ.

IN I VESPERIS

Ant. O beáta Virgo María : tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Oratio Deus, qui humáno, ut supra.

AD LAUDES

Ant. Beáta es, ℣. Diffúsa et Oratio Deus, qui humáno, ut supra.

DIE 4 NOVEMBRIS

OCTAVA B. MARIÆ. V. CANCELLATÆ

Duplex majus

IN I VESPERIS

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. O beáta Virgo María : * tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiamcontulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis diei infra Octavam Omnium Sanctorum :

Ant. O quam gloriósum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit !

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris.

Deinde Com. S. Caroli Ep. et Conf. (Duplex) :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit ; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferséntes.

Postea Com. Ss. Vitalis et Agricolæ Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Vitális et Agrícolæ solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Si vero die 3 Nov. celebrata fuerit Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, post Orat. de Beata fit Com. S. Caroli, ut supra.

Deinde Com. Oct. Omnium Sanctorum :

Ant. Angeli, Archángeli, Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, Patriárchæ et Prophétæ, sancti legis Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártyres, sancti Confessóres, Vírgines Dómini, Anachorítæ, Sanctíque omnes, intercédite pro nobis.

℣. Lætámini et Oratio Omnípotens, ut supra.

Deinde Com. Ss. Mm. :

Ant. Istórum, ut supra 68.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio Præsta, ut supra.

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

In Nativitate B. M. V.

Lectio iv

Altius intueámini quanto devotiónis affectu a nobis Maríam Deus volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in ea: ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum affectibus, et votis ómnibus Maríam hanc venerémur : quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam. In ómnibus síquidem et per ómnia próvidens míseris Deus, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

Ad Patrem verebáris accédere, solo audítu térritus, ad fólia fugiébas : Jesum tibi dedit mediatórem. An vero trépidas et ad ipsum ? Frater tuus est, et caro tua, tentátus per ómnia absque peccáto ut miséricors fíeret. Hunc tibi fratrem María dedit. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod, licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum ? Recúrre ad Maríam. Nec dúbius díxerim, exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem ? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

Filíoli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim ? Potéstne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam ? Non audíre, aut non audíri Fílius potest ? Neutrum plane. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum : felíciter. Semper hæc invéniet grátiam, et sola est grátia qua egémus : nimírum sola est grátia qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus, fratres ? Quærámus grátiam, et per Maríam quærámus, quia quod quærit ínvenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum : nam apud hómines grátia fallax. Quærant álii méritum ; nos inveníre grátiam studeámus. Quid enim ? Non grátiæ est quod hic sumus ? Profécto misericórdiæ Dómini est, quod non sumus consúmpti nos.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 26-38

In illo témpore : Missus est Gábriel Angelus a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Homilia 4 super Missus

Dixit María ad Angelum : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco ? Primo quidem prudénter tácuit, cum adhuc dúbia cogitábat, qualis esset ista salutátio ; malens nimírum humíliter non respondére, quam témere loqui quod nescíret. Jam vero confortáta et bene præmeditáta, Angelo quidem foris loquénte, sed Deo intus persuadénte, erat enim Dóminus cum illa, dicénte Angelo : Dóminus tecum ; dixit ad Angelum : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco ? Non dúbitat de facto, sed modum quærit et órdinem.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. Quibus.

Lectio viii

Ait ítaque : Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Qui potest cápere, cápiat. Quis enim, excépta fortássis illa, quæ hoc sola in se felicíssime méruit experíri, intelléctu cápere, ratióne discérnere possit, quáliter splendor ille inaccessíbilis virgíneis sese viscéribus infúderit, et ut illa inaccessíbilem accédere ad se ferre potuísset ? Et fortásse propter hoc máxime dictum est : obumbrábit tibi ; quia res nimírum in sacraménto erat, et quod sola per se Trínitas in sola et cum sola Vírgine vóluit operári : soli datum est nosse, cui soli datum est experíri. Ecce, inquit, ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Semper solet esse grátiæ divínæ familiáris virtus humílitas ; Deus enim supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Humíliter ergo respóndet, ut sedes grátiæ præpararétur. Ecce, inquit, ancílla Dómini. Quæ est hæc tam sublímis humílitas, quæ cédere non novit honóribus, insoléscere glória nescit ? Mater Dei elígitur, et ancíllam se nóminat. Non medíocris revéra humilitátis insígne, nec obláta tanta glória oblivísci humilitátem. Audiámus quotquot tales sumus, quid illa respónderit, quæ Dei Mater eligebátur, sed humilitátem non obliviscebátur.

℟. Porta cæli et stella maris es, Virgo María, Regis ætérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo, * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te resplendet. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. Quia. Glória Patri. Quia.

Pro S. Carolo Ep. et Conf. :

Lectio ix

CÁROLUS, Mediolání nóbili Borromæórum família natus, cum vigésimum tértium ætátis annum ágeret, a Pio quarto ejus avúnculo in sacrum cardinálium collégium cooptátus est. Mox ab eódem Mediolanénsis archiepíscopus creátus, in eo plúrimam óperam adhíbuit, ut juxta sacrosánctum Tridentínum concílium, quod ejus potíssimum sollicitúdine jam tum fúerat absolútum, ecclésiam sibi commíssam compóneret. Peste Mediolání grassánte, domésticam suppelléctilem in egénos aléndos cóntulit ; eóque morbo laborántes sédulo invísens, mirum in modum solabátur, Ecclésiæ sacraménta própriis ipse mánibus admínistrans. Ecclesiásticæ libertátis acérrimus fuit propugnátor, plúraque scripsit ad episcopórum præsértim instructiónem utilíssima; cujus étiam ópera parochórum catechísmus pródiit. Medioláni óbiit ætátis suæ anno quadragésimo séptimo, tértio Nonas Novémbris. Quem, miráculis clarum, Paulus quintus in Sanctórum númerum rétulit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Beáta es, * María, quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Caroli :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit ; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes.

Deinde Com. Oct. Omnium Sanctorum :

Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris.

Postea Com. Ss. Mm :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Vitális et Agrícolæ solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Ave, María, grátia plena. ℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. O beáta Virgo María : * tu véniæ vena, tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi fílios tuos clamántes ad te.

Oratio

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde ; ut, quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cælis. Per Dñm.

Et fit Commemoratio seq. ut infra, S. Caroli et Octavæ Omnium Sanctorum.

DIE 5 NOVEMBRIS

SS. RELIQUIARUM

QUÆ IN ECCLESIIS DIŒCESIS ASSERVANTUR

Duplex majus

Capit., Hymni et reliqua, quæ de Psalterio Feriæ non sunt sumenda, dicuntur de Comm. plur. Mm., præter seq. :

IN I VESPERIS

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini, ut supra.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur.

Et fit Com. S. Caroli :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferventes.

Postea Com. Octavæ Omnium Sanctorum :

Ant. O quam gloriósum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit !

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio Omnípotens, ut supra 74

In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa

Liber 4, cap. 15

Lectio iv

Christus Dóminus Sanctórum relíquias velut salutáres fontes præbuit, ex quibus plúrima ad nos benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam his fidem détrahat. Nam, si aqua in desérto ex dura et áspera rupe, atque ex ásini maxílla, ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit, cur incredíbile videátur ex Mártyrum relíquiis unguéntum suáve scaturíre ? Mínime certe iis, quibus Dei poténtia, et honor quo Sanctos suos áfficit, perspécta sunt et exploráta.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

IN lege quidem, quisquis mórtuum tetígerat, immúndus censebátur. Hi verum in mortuórum número mínime sunt habéndi. Ex quo enim ille qui ipsa Vita est, et vitæ Auctor, inter mórtuos deputátus est : eos, qui cum spe resurrectiónis fidéque in ipsum obdormiérunt, nequáquam mórtuos appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat ? Quanam ígitur ratióne, horum ópera dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci visum recípiunt, leprósi mundántur, tentatiónes discutiúntur ac mæróres, omne dénique datum óptimum, iis qui fide non dúbia póstulant, per eos descéndit a Patre lúminum ? Quid labóris non suscípias, ut patrónum nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, et pro te ad eum verba fáciat ? An non ígitur ii honorándi, qui totíus géneris humáni patróni sunt, Deóque pro nobis súpplices preces ádhibent ?

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Lectio vi

HONORÁNDI certe : et quidem ita ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, memórias eórum colámus, atque in iis spirituáliter oblectémur : ea útique lætítia, quæ illis arrídeat a quibus invitámur, ne, dum demeréri illos studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem servi quoque ipsíus oblectántur : quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam mílites offendúntur. Quocírca in psalmis et hymnis et cánticis spirituálibus, in compunctióne quoque, et egenórum miseratióne, quibus et Deus potíssimum cólitur, nos qui fidéles sumus, cólere Sanctos opórtet. Státuas eis, et imágines quæ videántur, erigámus : immo virtútes eórum imitándo hoc consequámur, ut vivæ ipsórum státuæ imaginésque evadámus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos ; et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homilia in Evang. Descéndens Jesus, de Comm. plur. Mm. 2o loco.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

AUGE in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Octavæ Omnium Sanctorum :

Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti ; et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Decl. de Ev. huj. verbis

Arbitror verba lectiónis hujus ea esse de quibus ad immortálem Sponsum a fínibus terræ clamat Ecclésia : Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Hæc nempe sunt verba quæ contémptum mundi in univérso mundo, et voluntáriam persuasére homínibus paupertátem. Hæc sunt quæ mónachis claustra replent, desérta anachorétis. Hæc, inquam, sunt verba quæ Ægýptum spóliant, et óptima quæque ejus vasa dirípiunt. Hic sermo vivus et éfficax, convértens ánimas felíci æmulatióne sanctitátis, et veritátis promissióne fidéli.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Nam et mundus transit, et concupiscéntia ejus : et relínquere hæc magis éxpedit, quam relínqui. Ecce, inquit, relíquimus ómnia, et secúti sumus te : nimírum, quia exsultávit ut gigas ad curréndam viam, nec curréntem sequi póteras onerátus. Sed nec inútilis commutátio, pro eo qui super ómnia est, ómnia reliquísse : nam et simul cum eo donántur ómnia ; et ubi apprehénderis eum, erit unus ipse ómnia in ómnibus, qui pro ipso ómnia reliquérunt. Omnia sane díxerim, non tantum possessiónes, sed étiam cupiditátes, et eas máxime.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos simíles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

PETRUS cogitátum suum jactans in Dómino, et omnem sollicitúdinem suam in eum projíciens, certus quod illi foret cura de eo, relíquit ómnia, secútus est Dóminum, ne intérrogans quidem de præmio, donec ex perículo dívitum quod Salvátor persequebátur, súmeret occasiónem percontándi : Quid ergo erit nobis ? Ait illi Jesus : Amen dico vobis. Verbum confirmatiónis præmíttitur, magnum nóveris esse quod séquitur. In regeneratióne sedébitis et vos. Consequémini, ait, quem sequímini, ut, cum ipse séderit, et vos páriter sedeátis. O séssio ! Quis mihi tríbuat, ut dignis éxprimam verbis, quod de sessióne hac cordis affectióne concípio ? Immo, quis tríbuat mihi sessiónis hujus imperturbáta frui réquie, quam desídero, quam cúpio, quam requíro ?

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEUS, qui in divérsis natiónum pópulis præcláros veræ fídei constituísti doctóres : concéde, quǽsumus ; ut omnes, qui ad sancti Confessóris tui Winnóci festa convéniunt, præséntis prosperitátis gáudium et futúræ beatitúdinis glóriam consequántur. Per Dóminum.

Et fit Com. Octavæ Omn. Sanctorum :

Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus; te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dñm.

Vesp. a Capit. de seq., Com. præced. et Octavæ.

EADEM DIE 6 NOVEMBRIS

(IN ECCLESIIS CONSECRATIS)

DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex I classis
cum Octava communi

Officium ut in Comm. Dedicationis Ecclesiæ.

Et non fit Com. Oct. Omnium Sanctorum.

De S. Winnoco fit tantum Com. ad Laudes.

DIE 7 NOVEMBRIS

S. WILLIBRORDI

EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Deus, qui ad prædicándam géntibus glóriam tuam beátum Willibrórdum, Confessórem tuum atque Pontíficem, míttere dignátus es : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut, quæ nobis agénda prǽcipis, te miseránte, adimplére possímus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præced. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui in divérsis natiónum pópulis præcláros veræ fídei constituísti doctóres : concéde, quæsumus ; ut omnes, qui ad sancti Confessóris tui Winnóci festa convéniunt, præséntis prosperitátis gáudium et futúræ beatitúdinis glóriam consequántur.

Deinde Octavæ Omn. Sanctorum :

Ant. O quam gloriósum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit !

℣. Exsultábunt et Oratio Omnípotens, ut supra.

In II Nocturno

Lectio iv

Willibrórdus, in Northúmbria natus est Wilgíso, religióso ádmodum patre. Nondum septénnis, Ripénsis monastérii frátribus aléndus ac stúdiis sacris imbuéndus tráditur. Illic júvenis tum in sciéntia, tum in virtúte mire profécit, et usque ad annum ætátis vigésimum monásticam vitam egit. Dein, arctióris vitæ flagrans desidério, in Hibérniam, ad sanctos viros Egbértum et Wigbértum cum vénia abbátis conténdit, ut eórum conversatióne fruerétur, ibíque duódecim annis, inter exímios pietátis simul et sacræ lectiónis magístros, futúrus ipse multórum populórum prædicátor, erudítus informatúsque est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Anno ætátis suæ trigésimo tértio sacérdos factus, et cum seléctis úndecim sóciis ad conversiónem paganórum missus in Frísiam, Ultrajéctum áppulit. A Pipíno Heristálli, qui citerióren Frísiam império suo subégerat, benígne excéptus, et in prædicatióne

Evangélii poténter adjútus, brevi multos ab idolatría ad fidem convértit. Quo autem majóri fructu verbi divíni sémina spárgeret, idem Pipínus, commúni præsulum probánte suffrágio, Willibrórdum Romam misit episcopáli charactére exornándum, quem Sérgius Póntifex in basílica sanctæ Cæcíliæ solémniter consecrávit, illíque novum nomen índidit Cleméntis.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Unctióne et benedictióne auctus atque exímiis benefíciis exornátus, Willibrórdus ad Frísios revérsus est, sedémque episcopálem Ultrajécti constítuit ; inde vero Frísiæ, Hollándiæ, Zelándiæ, Flándriæ, populísque finítimis, ingénti cum fructu verbum Dei annuntiávit, idóla commínuit, fana et delúbra destrúxit, multas ecclésias dedicávit, epíscopos, sacerdótes aliósque Ecclésiæ minístros sciéntia et virtúte conspícuos instítuit. Quædam étiam fundávit monastéria imprímis Epternacénse, cujus curam ad mortem usque ipse retínuit. Dénique diébus operibúsque plenus migrávit ad Christum, anno septingentésimo trigésimo octávo, ætátis suæ octogésimo primo, séptimo Idus Novémbris, miráculis et vivus et mórtuus insígnis. Ejus sacræ relíquiæ Eptérnaci quiéscunt.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui ad prædicándam géntibus glóriam tuam beátum Willibrórdum, Confessórem tuum atque Pontíficem, míttere dignátus es : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut, quæ nobis agénda præcipis, te miseránte, adimplére possímus. Per Dóminum.

Et fit Com. Octavæ Omnium Sanctorum :

Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus ; te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Vesp. de seq. die Octava Omnium Sanctorum, Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Deus, qui, ut supra.

Deinde Ss. Quatuor Coronatorum Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Exsultábunt, ut supra.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

EADEM DIE 7 NOVEMBRIS

(IN ECCLESIIS CONSECRATIS)

In Officio de S. Willibrordo fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum et Octavæ Dedicationis ad Laudes.

Vesp. de seq. die Octava Omnium Sanctorum, ut infra.

DIE 8 NOVEMBRIS

(IN ECCLESIIS CONSECRATIS)

In Officio de die Octava Omnium Sanctorum, in I Vesp. fit Com. præcedentis, ut supra **85**, deinde Octavæ Dedicat., ante Com. Ss. Quatuor Coronatorum Martyrum.

Ad Laudes fit Com. Oct. Dedicat. et Ss. Martyrum.

DIE 10 NOVEMBRIS

(IN ECCLESIIS CONSECRATIS)

In Officio S. Andreæ Avellini Conf. fit Commemoratio Octavæ Dedicationis ad Laudes, ante Com. Ss. Tryphonis et Soc. Mm.

DIE 11 NOVEMBRIS

SANCTI MARTINI

EP. ET CONF.

Duplex majus

Officium ut in Breviario.

I Vesp. dicuntur integræ cum Com. S. Andreæ et S. Mennæ.

Et in ecclesiis consecratis, fit Com. Oct. Dedicat. in I Vesp. et ad Laudes, ante Com. S. Mennæ, in II autem Vesp. post Com. seq.

DIE 12 NOVEMBRIS

(IN ECCLESIIS CONSECRATIS)

In Officio S. Martini I Papæ et Mart. fit Com. Oct. Dedicat. ad Laudes.

Vesp. autem dicuntur de sequenti die Octava, cum Com. præced. :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum

Martínum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem.

Deinde S. Didaci Conf. (Semiduplex) :

Ant. Simílábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius humilitáti nostræ ; ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereámur. Per Dñ.

DIE 13 NOVEMBRIS

(IN ECCLESIIS CONSECRATIS)

OCTAVA DEDICATIONIS PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex majus

Officium ut in die Octava Dedicationis in Communi.

Pro S. Didaco Conf. :

Lectio ix

DÍDACUS, Hispánus ex óppido sancti Nicolái de Portu diœcésis Hispalénsis, ab ineúnte ætáte, pii sub sacerdótis disciplína, sanctióris vitæ tirocínium exércuit. Deínde, ut fírmius Deo se conjúngeret, in convéntu de Arizzáfa sancti Francísci Assisiénsis régulam in statu laicáli proféssus est. Magna ibi alacritáte húmilis obediéntiæ et reguláris observántiæ jugo se subjíciens, contemplatióni in primis déditus, mira Dei luce perfundebátur, ádeo ut de rebus cæléstibus, litterárum expers, mirándum in modum et plane divínitus loquerétur. Canáriis in ínsulis multa perpéssus, martýrii æstuans desidério, plures infidéles verbo et exémplo ad Christi fidem convértit. Romæ in convéntu Aræ cæli ægrotórum curæ destinátus, miro caritátis affectu hoc munus exércuit. Grátia ínsuper curatiónum in eo elúxit. Demum Complúti piíssime ex hac vita migrávit, anno Dómini millésimo quadringentésimo sexagésimo tértio. Illum, multis miráculis clarum, Xystus quintus Sanctórum número adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Commemoratio sancti Didaci :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius humilitáti nostræ ; ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

In II Vesperis Com. seq. S. Josaphat Ep. et Mart., et S. Didaci Conf.

DIE 21 NOVEMBRIS

IN PRÆSENTATIONE BEATÆ MARIÆ VIRG.

Duplex II classis

Omnia ut in Brev., præter ritum.

FESTUM DECEMBRIS

DIE 1 DECEMBRIS

SANCTI ELIGII

EP. ET CONF.

Duplex majus

In II Vesp. S. Andreæ fit Com. seq. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Elígium Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo : da nobis ejus intercessióne ; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit : Qui vivis.

In II Nocturno

Lectio iv

ELÍGIUS, in agro Lemovicénsi natus, júnior adhuc Parísios se cóntulit, ubi, exomologési ómnium peccatórum apud sacerdótem facta, totus in ópera pietátis incúbuit. Aurífficum incúmbens arti, subínde in sacros códices intendébat óculos, ut, dum manus úsibus serviébat humánis, mens uni Deo vacáret. Quod arte sua comparáverat, dividébat in páuperes, seípsum étiam necessáriis fraudans, ut captívos redímeret. Clotário regi acceptíssimus fuit, Dagobérto étiam familiáris, a quo legátus pro pace componénda in minórem Británniam missus est. Apud Lemovicénses Solemniacénse monastérium constrúxit, et Parísiis ancillárum Dei domum, qua in urbe adhuc láicus miráculis clarescébat.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

JUNCTIS cum sancto Audoéno stúdiis, omnem simóniæ labem e Gállia sústulit, et tandem effécit ut epíscopi integritáte morum et doctrína illústres deínceps eligeréntur. Princípibus parébat ex ánimo : si quid autem iníqui præcíperent, evangélica eos libertáte arguébat. His virtútibus clarus, in Achárii demórtui locum Tornacénsis ac Novioménsis epíscopus eléctus est. Verum, ne cánones infríngere viderétur, aliquántulum sibi dari témporis postulávit, ut in clericáli disciplína instítui, et omnes Ordinum gradus rite posset suscípere. Tum eódem die quo sanctus Audoénus consecrátur epíscopus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Quo in múnere ita se gessit, ut non solum óvibus verbo et exémplo præésset, sed vicínos quoque pópulos, Flandros vidélicet et bárbaros circa mare íncolas, ab idolórum cultu ad Christi fidem non sine magnis labóribus perdúceret. Sedit in concílio Cabilonénsi. Noviómi monastérium vírginum ædificávit ac dotávit, eásque régulæ districtæ subjécit. Sanctórum mártyrum Piáti, Quintíni, Luciáni, Crispíni et Crispiniáni córpora, Deo reveláute, invénit. Quorum quidem relíquias in pretiósis capsis a se fabrefáctis cóndidit Póntifex, qui et ante episcopátum multa Sanctórum auro argentóque et gemmis fabricáverat sepúlcra, Germáni, Genovéfæ, imprímis vero Martíni et Dionýsii. Demum, plúribus egrégie scriptis variísque clarus miráculis et prophetíis, septuagenárius migrávit in cælum, Kaléndis Decémbris, anno Christi sexcentésimo quinquagésimo nono.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 24, 42-47

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Elígii Epíscopi

Lib. 2, cap. 15 de vita ejus

Vigiláte sollícite, quia quanto próximum finem mundi diábolus cónspicit, tanto crudélius contra Christiános sævit, ut, quia se cito damnándum cognóscit, plus sibi sócios in pœnam multíplicet, cum quibus útique sine fine cruciétur. Cavéte ergo atténtius, et júgiter cum Dei timóre conversámini, sciéntes quia unusquísque vestrum Angelum Dei habet qui obsérvet júgiter quæ égerit : et, síquidem bene agit, gáudium sancto Angelo sibi adhærénti gignit ; si vero mala ópera exércet, Angelum sanctum a se repéllit et malígnum dæmonem sibi conjúngit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii

QUAPRÓPTER, caríssimi, hæc me loquénte intrórsus ad vos redíte, consciéntias vestras discútite, si dignas mentes angélici consórtii géritis prævidéte, et, si vos bonos ac dignos Deo conspícitis, de méritis vestris numquam supérba mente præsumátis, sed magis de cétero cum humilitáte cavéte. Si vero peccátis vos obnóxios cérnitis, nullátenus desperáte : tantum fácite in corde pactum cum Deo, ut jam ámplius non peccétis ; sed fiduciáliter véniam speráte, quia Dóminus sinum pietátis suæ assídue patéfacit, et omnes ad se recípere per pœniténtiam quærit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

NAM et si adúlter quis, aut méretrix, aut fur, aut ebriósus, aut mendax, vel étiam filiórum necátor fúerit, tantum de cétero pœnitens cáveat, et indulgébit illi Altíssimus. Publicánum de Evangélio et latrónem, necnon et meretrícem, sed et Paulum súmite ad exémplum, qui de semetípso dicit : Prius fui blasphémus, et persecútor et contumeliósus, sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. Et vos ergo, si quid forte ignoránter admisístis, reparáte, vos quæso, dum licet, per pœniténtiam. Confitémini Dómino in totis præcórdiis vestris, quóniam bonus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Elígium Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo : da nobis ejus intercessióne ; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit : Qui vivis.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Deus, ut supra.

Et fit Com. seq. Festi S. Bibianæ Virg. et Mart. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, ómnium largítor bonórum, qui in fámula tua Bibiána cum virginitátis flore martýrii palmam conjunxísti : mentes nostras, ejus intercessióne, tibi caritáte conjúnge ; ut, amótis perículis, prǽmia consequámur ætérna. Per.

INDEX

SEPTEMBER

5 S. Bertini Abb., *dupl.* 7
9 S. Audomari Ep. et Conf., *dupl.* 12
11 B. Mariæ Virginis de Dunis, *dupl. maj.* 17
13 S. Amati Ep. et Conf., *dupl.* 21

OCTOBER

1 S. Remigii Ep. et Conf., *dupl. maj.* 25
3 S. Teresiæ a Jesu Infante Virg., *dupl. II cl.* 28
5 S. Piati Presb. et Mart., *dupl.* 40
9 Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm., *dupl. maj.* 44
16 S. Mommoleni Ep. et Conf., *dupl.* 49
28 B. MARIÆ VIRG. titulo CANCELLATÆ, *dupl. I cl.* cum Octava 53
29 Ss. Simonis et Judæ App., *dupl. II cl* 59
30 De III die infra Oct. B. Mariæ Virg. Cancellatæ, *semidupl.* . . 59
31 De IV die infra Oct. B. Mariæ Virg. Cancellatæ, *semidupl.* . . 63

NOVEMBER

4 Octava B. Mariæ Virg. Cancellatæ, *dupl. maj.* . . . 68
5 Ss. Reliquiarum, *dupl. maj.* 74
6 S. Winnoci Abb., *dupl.* 78
6 DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ, *dupl. I cl.* cum Octava communi 82
7 S. Willibrordi Ep. et Conf., *dupl.* 82
11 S. Martini Ep. et Conf., *dupl. maj.* 86
13 Octava Dedicationis propriæ Ecclesiæ, *dupl. maj.* . 87
21 Præsentatio B. M. V., *dupl. II cl* 88

DECEMBER

1 S. Eligii Ep. et Conf., *dupl. maj.* 88

BIBL. STE GENEVIÈVE

Concordat cum originali.

Insulis, die IV Maji MCML.
P. LESTIENNE

Imprimatur.

Turonibus, die XXVIII Octobris MCML.
† LUDOVICUS-JOSEPHUS
ARCHIEPISC. TURON.

Imprimé en France.

1294-1950. — Turonibus, typis Mame.
DÉPOT LÉGAL : 4e trimestre 1950.